37

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

FEBRE HECTICA ABSCESSUUM INTERNORUM COMITE,

Quam
DEO CLEMENTER BENEDICENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, RELIQUA.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. p. t. FACULT. MEDIC. DECANO SPECTATISSIMO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO omni obſervantiæ cultu proſequendo.

PRO GRADU DOCTORALI
Summisque in UTRAQUE Medicina, honoribus, inſignibus, & Privilegiis majorum more capeſſendis.
D. April. Anno MDCCX.
IN AUDITORIO MAJORI
publice ventilabit
CHRISTOPHORUS von der Flott/
Viln. Lithuan.

HALÆ MAGDEB. Literis CHRIST. HENCKELII, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

INter plures vulgi errores circa Medicinã, quos eruditis cenſuris notavit jamdudum Primeroſius, non poſtremo loco memorari merentur, illi duo, primò, quando στοχασμὸς, ſeu è certis ſignis colligenda conjectura Medica, invidiosè Medicis, vitio quaſi vertitur; ſecundò, quando iisdem tanquam in opprobrium allegatur, quod ſæpè etiam ſatis certo percognitis cauſis, tamen reſtituere in integrum, & ſanare morbum, non valeant. Primum enim quod attinet, iniqua certè hic eſt mortalium turba, quod non ita ægre ferat, circà res paſſim in propatulo poſitas, imo vel in luce publicâ geſtas, ubi etiam loqui poſſent & enarrare, qui de ſuis neceſſitudinibus quæruntur, (in forenſi praxi,) tamen ſubinde vix inveniri poſſit veritas; imò, niſi tres ad minimum teſtes ſatis conſentientia declarare valeant: aut plurium ſchematum atque graduum tormentis ſubactus, tandem confiteatur, & tamen ita quoque non perpetuo confiteatur, reus: Et ibi nemo ſanæ mentis, vitio vertat judici, ſi ille corpus delicti, ve-

ram ſpeciem facti, teſtium, etiam juratorum, conſona effata, ita, pro fundamento requirat & ſupponat, ut horum aliquo deficiente, ne quidem ipſi liceat, torturâ adverſus reum experiri: aut ſi hæc etiam non ita rarò ipſum adhuc deſtituat, ille adeo juſtitiam exſequi, atque jure agere, non poſſit. Iniqua, inquam, eſt gens mortalium, quod plus à Medicinâ exigat; nempè, non perplexis ſolum ſæpè, ſed etiam nullis, firmis indiciis, tamen rem ipſam tanquam divinando aſſequi, & quæ non ſolum in occulto, ſed etiam occultè, geruntur, plus quam Delphica vaticinatione, prodere & effari. Imo, cum etiam forenſes actores, niſi ipſi ſatis ſe diſertos ſentiant, Advocatorum ſolertiâ interveniente, prolixiùs, quæ in rem ſuam ſunt, proferre & commemorare poſſint, atque teſtes conquirere & rogare: Ægri, ex adverſo, longè plurimi, jam ætatis, jam ingenii, jam facundiæ, jam præconceptarum opinionum, jam impatientiæ, aliquando etiam certæ fallaciæ, interuentu, non poſſint aut non velint, ipſi enarrare, nec etiam exquirentibus, profiteri, talia indicia atque ſigna, è quibus ſatis certo concludere liceat, de vera indole affectuum, qui ægros obſideant atque angant. Neque vero diſpar etiam ratio eſt, circà poteſtatem Artis, in percurandis, ſanandis, in integrum reſtituendis, variis corporis læſionibus. Ubi, cum nemo a judice expectet, ut ille, quæ furto ablata & dilapidata ſunt, refundat; per vim mutilas corporis partes, reſtituat: Actorem in poſſeſſionem ablatorum ſpoliorum, non amplius comparentium, nec ab adverſario paupere compenſandorum, in ſolidum reſtituat; Quam abſonum fuerit, à Medicò exigere, ut ille his gemina, in corpore humano, & arte quidem, præſtet, quæ, cum à ſola ægri Natura ſeu inſita energia, expectari deberent, ſæpè numerò

merò nec ab hac ipſa ampliùs, per hujus Naturæ leges, exſpectari poſſunt. Sicut autem prolixum eſſet, in veras, inprimis autem varias, hujus confuſionis & iniquitatis cauſas inquirere; ita brevibus certè multum dicere licuerit, nudis ipſius Principis Medicorum verbis, & animadverſione peritiſſima, dum in Lege ait: *Omnium quidem Artium illuſtriſſima eſt Medicina: verum propter inſcitiam eorum, qui illa utuntur, & eorum qui de his talibus judicant, omnium pénè artium poſtrema paſſim habetur.* Et ſane optandum magis, quam ſperandum eſt, ut poſt tot ſecula, hæc labes aliquando minueretur; ſed faciunt noviſſimorum horum temporum mores, ut etiam votorum pœnitere debeat: ne, cum Sabinis, videamur, *ſomniare, quæ velimus*, in animum induxiſſe. Sufficere autem poterit, aliquam horum confirmationem in exemplis intueri, è quibus unum in medium producere, nobis propoſuimus. Nequaquam autem ea intentione, ut quid turba inſciorum & imperitorum circà illud deliret & aberret, iniquo temporis, imo chartæ, diſpendio, indicemus; ſed ut potius, humanâ, indole atque ratione præditis, oſtendamus, quomodo equidem morbi, imprimis quantum ad Medicæ Artis poteſtatem ſatis eſt, dignoſci poſſint; interim tamen, non ita rarò, penitiſſima conſtitutio, imprimis cauſalium concurſuum, deficientibus ſignis adæquatis, cognitionem plenam & indubiam ſubterfugiat, & fruſtretur. Imo ulterius, quod ſatis ſæpe, quantumlibet etiam abundè perſpecta conſtitutio hujusmodi, tamen non ſolum extra *Artis*, ſed ipſius planè *Naturæ*, poteſtatem, ita poſita ſit, ut a *neutra* harum, (nec ipſa, inquam Natura, nedum arte,) firmum atque ſolidum auxilium exſpectare amplius liceat. Agemus autem hoc tanquam in paradigmate, in

HECTICÆ FEBRIS, CERTI COMITIS INTERNORUM ABSCESSUM ULCEROSORUM, perluſtratione; quam THEMATIS INAUGURALIS LOCO, publicè pertractandam nobis ſumpſimus.

Faxit DEUS T. O. M. ut huic noſtro propoſito ſatisfaciamus, & eo ipſo Principis tenebrarum injurias adverſus veritatis Deo caræ lucem, diſſipemus, hanc autem ſibi, imo generi humano, etiam hac in parte aſſeramus.

Th. I.

QVemadmodum præpoſteræ *laudes*, nemini placent; ipſis autem etiam defectibus, imò *vitiis*, oblatæ, vel pro *injuriâ* ipsâ à prudentioribus habentur, & exprobratione, ſub imprudente commemoratione, publicè detectorum vitiorum: ita cavendum certè hinc eſt, ne hanc notam, improvidis laudationibus incurramus & promereamur. *Veteres*, qui contemnunt, pluribus certè modis & nominibus, & malè ſibi conſulunt, & in illos malè agunt. Præterquam enim, quod de mortuis, majoribus ætate & ævo, & in difficiliore labore, viam præmonſtrantibus & bonum exemplum offerentibus, honeſtiſſimè loqui, omnem moderatum hominem deceat, atque juvet; habent ſanè etiam *Veteres* ea paſſim merita, quæ ſilentio prætermiſiſſe, ignorantiam; iniquius autem de ipſis ſenſiſſe, etiam protervam injuriam, certò certius redoleat, imò ſiſtat. Interim ex adverſo, omnia *Veteribus* tribuere, & poſt longa etiam ſecula ſolertiùs enucleatas, partim rerum *hiſtorias*, partim *rationum* declarationes, illis etiam in ſolidum vendicare, non otioſum magis, quam prorſus odioſum, habendum eſt. Illud de Medicis, inde ab ipſo Principe *Hippocrate*, pro certo habemus, transmiſiſſe illos ad poſteritatem, luculenta teſtimonia, peritiæ æquè multiplicis, atque ſolertiæ diligen-

gen-

gentiſſimæ, in commemoratione *hiſtoriæ* variorum morborum, ſecundùm plerasquè ad illos pertinentes circumſtantias; Ita, ut bono jure de illis dici poſſe ulteriùs arbitremur, quod quidem ea, quæ de hoc negotio protulerunt, omnia propemodum firma ſint atquè vera: Interim abſurdum certè fuerit, etiam ita hoc aſſertum convertere velle, vt iisdem tribueretur, quod etiam *omnia* quæ vera ſunt, penitùs exhauſerint, & ſuis enarrationibus abſolverint.

Th. II.

Planè vero alio modo res ſe habet cum *rationibus*, quas iidem, pro explicatione veluti *cauſali* hujusmodi rerum, hinc inde in medium produxerunt. Ubi, cum multum ipſis hic obſtiterit, etiam nuda antiquæ Philoſophiæ Phyſicæ inſufficientia; tantò æquius certè, ab omnibus prudentibus, audietur illorum excuſatio, quando ſolùm *generaliora* passim, imo vel *alieniora* interdum, proferunt, quàm quæ ſubſtratæ materiæ ſatisfacere poſſint.

III.

Quod ipſum ſicuti certò valet, de univerſis propemodum penitioribus, *cauſarum, eſſendi* & *agendi*, modis, quos hinc inde allegant: ita vix usquam clarius eluceſcit, quam in qualibuscunque ipſorum conceptibus, quos de *cauſali* ratione FEBRIUM quarumlibet, tam ſibi ipſis formaverunt, quam aliis tanquam præfigurare atque inculcare, in animo habuerunt. Ubi quidem neminem puto fore, quin ſatis agnoſcat, quod defectus plenioris notitiæ *de motu ſangvinis progreſſivo*, ejusque *Mechanico-Phyſicis* uſibus, ad veram *vitalis conſeruationis*, & noxiarum rerum *excuſſionis*, ſcopum, neceſſario illis omnem aditum præcluſerit, ad ſolidam, unicam, circà has res veritatem, animadvertendam. Utpote quæ his fundamentis unicè innititur, adeò, ut verus de harum rerum vero habitu conceptus, ubicunquè, etiam inter *modernos* adhuc, deficit, tum plures alios uſus ab hac obſervatione expectandos, nobis intercipiat: Tum *Febrium* quamcunque ſoli-

ſolidiorem Pathologicam notitiam, inſuperabili impedimento prægrauet.

IV.

Minimè verò illud nunc agemus, ut defectus opinionum illarum latiùs notemus; quos potius, uti modo monuimus, quoad rei veritas & boni mores ſinunt, excuſare malumus: Cum tamen *Febrem* ejusmodi præ manibus habeamus, cujus *nominis* rationem, laudati Veteres, in aliâ, quam cui nos aſſentiri valeamus, *ratione* atque conſideratione collocarunt: Integrum nobis omninò erit pauca quæ rem noſtram neceſſariò reſpiciunt, ex illis attingere. Propterea imprimis, vt quid illis etiam adhuc ſubſit quod uſui alicui applicari queat, hinc agnoſcamus: ſepoſitis iis, quæ minùs ad propoſitum quadrare intelligimus.

V.

Impoſuerunt nempè jam antiquiores HECTICÆ nomen, tali *Febri*, quæ ita velut in *conſvetudinem* deducta ſit & abierit, apud patientem, ut ille quaſi non ſatis amplius illam animadvertat, aut ad minimum non ſatis exquiſitè amplius perſentiſcat. Illi verò, quibus largius ſuppetit otium, diſquirere poterunt, utrum, & quatenùs, ab illis, *Hecticæ* vox, ſiue ad *habitum moralem* ſeu *adſuetudinem*, uſitatæ acceptionis ſenſu, referatur: an vero magis ad *habitum* phyſicum quem vulgo *habitum externum corporis*, ſeu potius *ambitum* ejus, appellant. Pro qua quidem *poſteriore* acceptione, ſtant imprimis *cauſales* Theoriæ, quas de ingenio imo & effectibus, *Hecticæ Febris* proferunt: quibus nempe illud quam maxime inferre laborant, quod in hac *Febre, calor*, ipſam *ſubſtantiam* partium ſolidarum, per totum ambitum corporis occupaverit, eoque ipſo patienti, propter exactam *æqualitatem*, inſenſibilis evaſerit: Cum in aliis *Febribus*, jam *intrà* venas *majores*, jam *minores*, jam *extrà* venas, putreſcens, partibus ſolidis non æquè ſimul affectis, tantò moleſtiorem ſenſationem è viciniâ inſultantis æſtus, objiciat.

VI.

VI.

Quemadmodum autem reuerà nemo prudens, ſiue expectaverit à *Veteribus*, *ſpeculatiuam* aliquam comparationem aut collectionem, *rationalis rationis Febrium*; ſive quæ in hunc ſenſum protulerunt, iterum dicimus *Theoricè*, tueri ſuſceperit, aliter, quam *excuſando*, ſuper fundamento ignoratæ *circulationis ſangvinis*: Ita, ex adverſo, quod ad *hiſtorias* attinet, merititiſſima illis manet laus ſolertiæ, circà obſervationes practicas, imprimis circa *Febrium hecticarum* quarundam *ortum*; deinde, earundem *comitatum* & veluti ſocietatem communiſſimam: & denique, facilem earumdem *implicationem*, cum ita dictis *putridis*.

VII.

Primùm quod attinet, neque temporis ratio patitur, nec etiam operæ pretium ducimus, prolixè citare, quæ in *Avicenna*, & diligente ejus Commentatore, *Arculano*, *Savanorola*, *Foreſto*, & diligentiſſimè hujus veſtigiis inſiſtente, *Sennerto*, imo etiam adhuc propiore non minus ſedulo *Febrium* hiſtoriographo, *Petro Michaele de Heredia*, de his objectis commemorantur; quæque facile erit, quibus otium ſuppetit, in iisdem, aut aliis illorum clientibus, inſpectare: Res autem ipſa in his maxime conſiſtit. Primò annotant, ſumere aliquando *Febrem hecticam* initia ſua, à *Diariis* ſeu *Ephemeris* Febribus. *Secundò*, nemo unus eſt, quin conſentiat, imo profiteatur, diutinis, atque ita adſveſcentibus, ſeu potius innidulantibus & inhærentibus, notoriis *ulcerationibus viſcerum*, tanquam ordinàriè *comitem* incedere Febrem *hecticam*. Id, quod de *phthiſi pulmonali* æquè, atque paulo rariore, *renali*, eatenus omnes agnoſcunt, quatenùs à *Theoria* illa, quod hectica Febris in totius corporis habitu ſedem fixerit, non nimium præoccupati exiſtunt. *Tertium* autem eſt, quod ſubinde *hecticam* cum *putridâ* complicari autumant: quod ſimul atque ita, uti re verâ debet, ex ipſa *hiſtoria*, ita ſolum intelligitur; *Ubicunque ſatis ſenſibiles, continuæ durationis Febres, per initia, aut in decurſu, nullum exquiſitum typum ſtrictè dictum*

B con-

continuum, *aut* (iterum dicimus,) exquiſitius, *periodicum obſervantes*, tamen *inſolitam*, (tali ſchemati) *incaleſcentiam exſerant*, ibi *hectica cum putrida* colludere, intelligi debeat: id eſt, *lenta ἄτυπος, cum æſtu*, qualis typicis, & quidem acutis propius reſpondeat.

VIII.

Ubi quidem, pro noſtra tractatione tanquam obiter, minime tamen obiter, animadvertendam commendamus, *differentiam* illam, & quam maxime, quibus eſt otium, conquirendam, apud ſcriptores ſive antiquiores ſive juniores, *diſtinctionem*, inter Febres *ſimplicius* LENTAS, & pluribus reſpectibus (niſi obturbentur) mitiſſimas: & inter veras HECTICAS, non modo pluribus, ſed etiam admodum conſpicuis reſpectibus, in *contumacem* atque *refractarium* habitum deductas. Quæ *poſteriores* utique, ſtricto hoc nomine propriè intelligi debeant; cum alteræ illæ, ab hac pertinaciâ tantundem, quàm ab ejus profundâ atque ſolidâ *cauſa*, longiſſimè certè abſint. Quam tamen differentiam, ut pro hodiernis moribus quam maxime *practicam*, (nempè è Febrium intermittentium mala tractatione paſſim pullulantem) ex uſu profectò fuerit, ſatis perſpectam, adeoque veluti in numerato habere: Quandoquidem hujus differentiæ cognitio, ad ſinceriorem tractationem practicam, velut inſeparabili nexu referri poſtulat.

IX.

Ne vero hîc etiam implicatio illa, è veterum hæſitatione illa qualicumque, circà veram conſpicuam indolem febris *hecticæ*, crucem, quod aiunt, nobis figat, placet deſcriptionem ejus exhibere, cui firmius inſiſtere liceat. Eſt itaque HE- „
CTICA, talis febris, ubi patiens multis, imo tanto magis „
plurimis, diebus, per occaſiones nequaquam ſatis idoneas, „
ſed potius leves, ita inſigniter perturbatur, ut tum calore ma- „
jore quam ſ. n. ad ſenſum moleſtetur; tum langvore, faſti- „
dio animi, inappetentia, oris ſicceſcentia, ſiti, aut ad mini- „
mum majore potus, quam cibi appetitu, ſubinde tamen et- „
iam conſueti cereviſiarii potus tædio, frigidorum magis, „
quam calidorum amore, colore tanquam magis ordinarie „
pal- „

„pallido, aut alias malo & inuſitato, perpetuo quaſi langvore, „aut certe virium inuſitata prompta atque facili conſumptio-„ne, ſuccedente diuturniore debilitate, imo omnium huc-„usque dictorum a motu paulo fortiore exacerbationibus, „afficitur, imo affectus eſt, ſeu laborat: Sub his circumſtan-„tiis etiam nullam bonam atque floridam corporis nutritio-„nem præ ſeſe fert: ſed, & langvide ſi illa adhuc eſt ætatis „periodus, accreſcit; & magis ferè in longum, quam in am-„plum (floridum, ſubturgidum, ſpongioſum, & molliculum) „habitum aſſurgit; aut, ſi etiam adhuc tale quiddam fieri ap-„pareat, tamen ille quidem habitus laxior potius, atque mol-„lior appareat, ſubtumidus. (Germani tanquàm temerè hali-„tibus inflatum, dunſtig/ appellant, imo ampliore explica-„tione circumſcribunt; Es ſeye keine geſunde Vollleibigkeit „mit einem ſolchen; ſondern ein bloßes dunſtiges Weſen/wel-„ches ſchnelle wieder hinfallen und verwelcken werde.) Ubi imprimis minime improvidi ſunt, dum *malum colorem*, cum *langvore*, & facili & multiplici, in talibus patientibus, circa vitales & animales actiones, vnà in conſiderationem adducunt. Omnibus modis autem quando *ſenſibiliora* ſunt hæc omnia, & imprimis, adhuc ſtatim dicendæ conditiones, eò non præſentior ſolum, ſed etiam importunior atque major eſt, *hecticæ* febris energia. Nempè, quando præter dicta, *poſt aſſumtos cibos*, magis ad ſenſum *langveſcunt* atque torpeſcunt potius, quam ut vividi & alacres videantur: Prætereà, mox *poſt ciborum uſum*, & toto corpore, & præcipuè in volis manuum, planè ad ſenſum magis incaleſcunt, quàm antè aut extrà tale tempus: Imò ſi etiam faciei color, *tali tempore*, vividior appareat, tanto magis reliquo corpore *langveant*, *incaleſcant*, ore *ſicceſcant*, imò *ſitiant*. Quod quidem etiam propemodum conſtanter apud *hecticos* valet; quod, quantò magis in facie, *floridæ* conſtitutioni familiaria ſigna oſtendunt, tantò pejus circa reliqua, & imprimis varios ſuos *langvores*, & ſenſibiliorem *calorem* prædominantem, habere obſerventur.

X.

Ulteriùs autem de *hectica* febre notari debet, quod diverſos habeat, & oſtendat, *acerbitatis* ſuæ gradus: non æquè in diverſis ſubjectis, ſed in uno eodemque. Ita quidem, ut aliquando vix ſenſibilem admodùm, exhibeat moleſtiam; quæ non ſub latitudine debilioris conſtitutionis excuſari tantiſper poſſit; Unde etiam vulgus Germanorum ait: Es ſeye ſo ein weichlich/ kränckliche/ hinfällige Perſon; könne gar nichts vertragen/ kränckele immer. ꝛc. Et ſub hujusmodi conſtitutione, (rariùs intercurrentibus gravioribus incrementis mox dicendis,) affecti, vivunt aliquando hujusmodi patientes, ad 10. 15. imo ad 20. annorum ſpatium: Ut ex uno vel altero exemplo, inferiùs allegando, diluceſcet. *Elatior* autem *gradus*, exprimit omnia præcedente paragrapho dicta, aut potiora certè, in tali vigore, ut patientes ita affecti, manifeſtiſſimè ægri eſſe intelligantur; adeo quidem, ut licet perpetuò decumbere non cogantur, imò vel longe maximam partem temporis ſui extrà lectum conſumant; tamen & ipſi hoc eloquantur, & vel è ſolo aſpectu facilè impetrent fidem, quod vim quaſi faciant viribus ſuis: Sie ſeyen auf/ gehen herum/ über alle Macht; wolten ſich nicht gerne gar geben/ ꝛc. Eminent autem in hoc gradu præcipuè, *pallor* totius, imò ipſius *faciei*, exceptis paucioribus indies quadrantibus horarum, aut paucis, erga plurimos alios comparandis, diebus; Et *flaccida* corporis, imò *tabida*, *extenuatio*, magis magisque augeſcens: *Appetitûs* inſuper æquè, ac digeſtionis, imò & *excretionum*, admodùm conſpicua, de tempore in tempus, detrimenta. Ultimus autem gradus, tantam exaſperationem omnium allegatorum ſymptomatum involvit, ut non ſolùm in lectum conjiciat ægros, ſed etiam manifeſtiùs *febriles*, nempe motûs ſangvinis conſtanter acerbioris commotiones, cum *ſiti*, (licet ſubinde nauſeosâ) *oris ſiccitate*, *agrypnia*, *anorexia*, *debilitate*, & exſuperante corporis *conſumtione*, ac univerſali *langvore*, tam exquiſitè afficiat & exerceat,

at, ut in eo ſtatu diu durare non poſſe ægrum, quicunque vident, facilè conſentiant.

XI.

Rationi autem omninò obvium eſt, quod citatiores greſſus promptiùs admoveant metæ; id eſt, fortior quique horum *graduum*, *durationem* etiam univerſam, arctioribus limitibus circumſcribat. Ita tamen, ut equidem *duratio* totius hujusmodi ambitus, veræ *typicæ*, nempè qualitercumque *periodicæ*, *continuæ* Febris ambitum, notabiliter ſuperet; Interim etiam aliquando, in valdè *longum* tempus, extendi, non magis *poſſit*, quam *ſoleat*: Nempè imprimis, ex adverſo, quæ *levioris* adhuc eſt gradus, ſed certæ hujus indolis, *leniſſima Hectica* febris.

XII.

Placet autem omninò aliquid adhuc ſubjicere, de *diverſitate* verâ, & reali ſimplicioris LENTÆ febris, & HECTICÆ: Et quidem etiam adhuc in eo ordine, quem hucusque ſervavimus, nempè magis purè adhuc *hiſtoricè*, quam præmaturè *ætiologice*. LENTA febris, vel non oritur ſua *ſpontè*, vel non *manet* admodum diu in tali gradu, quin in *typicam*, manifeſtò talem, tranſeat: ſicut ortum etiam ſuum, priore modo, ordinariò ſumit è typicis. Minime omnium autem in eo comparanda eſt *hecticæ*, ut jam acerbius inualeſcere, jam notabiliter intepeſcere ſoleret, aut quidquam horum, ſive continuando, ſive variando, tam diu perſequi, ut ordinariè magis *hectica*. Deinde, poteſt utique *lenta* febris tranſire in *hecticam*; ſed non viciſſim, *hectica* in ſimplicem *lentam*; Minime autem ſolet etiam hoc ita promptè facere *lenta*, imprimis ſibi relicta, & nulla re in deterius acta. Tranſit autem, & quidem adhuc facilius, in *alias* potiùs febrium formas; & quidem, quæ mox *lenta* apparuit, in *typicam* aliquam *acutam*; quæ ex *acuta*, *lentum* ſchema induit, vel iterum in talem *relabitur*, vel capeſſit *intermittentem* typum: Quæ verò ex *intermittentibus* coorta eſt, tranſit vel iterum in aliquam talem, vel in *hecticam*. *Hectica* vero in aliud ſchema non tranſit, ſed ſubit

ſimpliciter *exacerbationes*, *inflammatoriis acutis* reſpondentes. Tandem, *lenta* redit vel ſponte ad tranquillitatem; vel evaneſcit cum illo ſchemate, in quod tranſiit, ſi hoc feliciter deſinat. *Hectica* vera talis, nec ceſſat facilè, imo verius dixerimus vix unquam, ipſa; nec cum *exacerbationibus* illis *acutioribus* remittit, nedum deſinit, ſed perſtat, *gradu* ſolum acerbitatis mitigato.

XIII.

Libet autem adhuc unam *diverſitatem* indicare, *Lentæ* febris, ab *hectica*. *Lenta*, imprimis quæ *continuis compoſitis*, aut acrioribus *intermittentibus*, ut *duplicatis*, aut valde *æſtuoſis*, veſtigia legit, valdè prona eſt ad largiſſimas, & revera nimias, *ſudationes*; (Maxime vero talis, quæ per impatientiam ægri, non toleratis *decentibus* ſudoribus *periodicis*, ortum duxit; non autem *oppreſſionibus* per adſtringentia ſucceſſit, qualis in *hecticam* pronior eſt.) Vera verò *hectica*, niſi propemodum jam conſummata, aut ſub alienis artificiis errans, nimiò alienior eſt, ab hujusmodi *ſudationibus*, & longè certius *arido mordaci calore* conſpicua. Præterea, *lentarum* etiam prodigæ ſudationes, modo abſint perverſa artificia, nihil usquam effatu digni detrimenti afferunt; Imo decreſcunt, & evaneſcunt tandem, ſponte, ad perfectam ægri euphoriam, imo ſanitatem: obſequuntur quin etiam leniſſimis idoneis remediis, eò usque, ut veluti in artis poteſtate ſit, illas tollere. Omnia vero contraria eveniunt in *ſudationibus hecticis*. Quas quidem veras & reales differentias, veræ ſimplicis *lentæ* febris, à vera hectica, illis adhuc circumſtantiis obſignamus, quod vera *lenta*, nunquam *diu* tantam vehementiam ſeruet, ut lecto affixum detineat patientem: ſed potius de die in diem *mitiora* omnia & *meliora* præ ſe ferat: *Hectica* vero contrario modo in his ſe habeat. Quas quidem differentias, uti certè è multa, circumſpecta, & conſtantiſſimâ, clinica obſervatione ductas, pariter Practicis, bene & circumſpecte in ſua re verſantibus, commendamus.

XIV. Enu-

XIV.

Enumeratas huc usque circumſtantias, abſolvere *hiſtoriam* febris *hecticæ*, & illam ſatis exhaurire, certiſſimum eſt. Supereſt autem una adhuc conditio, uſitatiſſima iis, qui hac febre laborant, & tamen ad illam, ut *formaliter*, non pertinens. Primò enim, non æque abſolutè *omni* hecticæ competit: Deinde, non eſt tam ipſius *hecticæ*, quàm *cauſæ* alicujus *conjunctæ* cum *Hectica*, effectus, quàm quoquomodo ipſius *hecticæ*. Eſt vero *Tuſſis*, à mediocri ad magnam, tum *frequentiam*, tum *ferociam*, importuna. Quæ, quamvis cum *hectica* multum penitioris nexus habere videri poſſit, ex eo, quod certis quibusdam ſui circumſtantiis, *graviorem*, diverſis autem *mitiorem*, reddere hecticam, ſentiatur: Habet tamen ſolùm illud veri, quod non *proprio*, ſed *ſocio*, *cauſali* reſpectu & efficacia, *hecticam* ita afficiat, & ſano ſenſu efficiat: Nullum autem ſimplicem & directum nexum *reciprocum*, cum illa habeat aut inferat.

XV.

Propior autem locus omninò hic eſt, tàm ad commemorandam hanc velut *hiſtoriam* hecticæ, quam ad ſubjungendam mox tam *hiſtoriam*, quam *ætiologiam*, *pathologicam*, ejusdem. In quem videlicet ſenſum meritò aſſeveramus, quod *hectica* certiſſimè conſortium ineat cum ejusmodi affectibus, qui *Tuſſes*, *frequentes* admodum, *feroces*, & non ſolum *diuturnas*, ſed magis magisque *perennes*, gignunt & producunt. Tales maxime omnium ſunt, pulmonum *ulceratio*, & hepatis exareſcens *induratio*. Quarum prior, plùs minùs *humidam*, poſterior *ſiccam*, tuſſim fovet: Quamvis non ita raròs *concuſſio* pectoris, ab efferâ ſiccâ tuſſi, primo producta, etiam tandem *pectori* labem conciliet, & ita *hypochondriacæ cauſæ pectoralem* etiam ſociet, cum alterutra pro conſumendo ægro ſufficere poſſet.

XVI.

Quemadmodum autem, ſummo jure meritoque diximus,

mus, quod quidem frequentiſſime Hecticæ *cauſis*, *Tuſſes* tales ſocientur; minime tamen planè abſolutè omni *hecticæ* neceſſariam ſocietatem ſeruent: Niſi quod, per ipſam *febrilem* ordinarii caloris intenſionem, & inſuper, alibi etiam hærentium talium *cauſarum*, (quales in *pectore humidam*, ex *hepate* vero *ſiccam* tuſſim, cum hectica ſui *ſocia* copulant,) in maſſam ſangvinis diffuſa apoſpaſmata, familiariter etiam ſyſtemati *ſpiritalium* organorum aliquid *damni*, vel ad minimum moleſti *ſtimuli*, objiciunt, ut rariſſimè conſtitutio verè *hectica*, inveniatur, quin *tusſis* notabilem concurſum præ ſe ferat.

XVII.

Ut autem propiùs ad ſcopum accedamus, aſſeveramus, quod vera, ad *ulceraſo-ſuppuratoriam* corruptionem ſiue quam proximè *diſpoſita* & declinans, ſive jam *deducta*, læſio quorumcunque internorum organorum ſeu viſcerum, donec ad *reſtitutionem* ſui perducantur, (quod nempe vix rarisſimis caſibus obtingit, niſi vivido progreſſu recentiſſimum adhuc malum ſuperetur, & reſarciatur, ut in læſionibus à vi externa incuſſis, aliquando obtinetur,) quantò magis in *longitudinem* temporis res extrahitur, eò magis certa prorſus & *inſeparabilis* comes, tali viſcerum labi, incedat febris hectica. Adeo, ut nihil usquam obſtare poſſit, quò minùs pro *hiſtorica* thematis noſtri confirmatione, provocando ad quotidianam obſeruationem praxeos Clinicæ, aſſeveremus, quod *numquam viſceri cuicunque eueniat læſio, in ſanioſo-vlceroſam, quantumcunque langvidiorem ſeu ſucceſſiuam continuationem, ſe extendens, quin eidem hectica febris combinetur; & ita quidem, ut magnitudinem & progreſſum hujusmodi læſionis*, etiam *proportio illius febris* ſequatur & imitetur.

XVIII.

Quamquam autem nihil obſtet, quo minus etiam ſimplici *conuerſione* enunciare poſſemus, quod, ubicunque etiam vigeat vera *Febris hectica*, ibi etiam ſubſit *ulceroſa* affectio in aliquo *viſcere*: quia tamen tempus noſtrum non permittit, ut prolixius nos diffundamus: poterit tantiſper ſufficere, illud

omni-

omninò tueri, quod ibi certò ſit *hectica* febris, ubicunque *interna ulceroſa* læſio, aut conſtans ad illam proxima *diſpoſitio*, præſto eſt. Quod nempè effatum, adeo ex ipſo veluti ore perpetuæ experientiæ Clinicæ deſumtum, proferimus, ut omnem dubitationem de conuerſivâ etiam illa enuntiatione, nequè faciliùs, neque feliciùs tollere liceret, ſi ab eâdem experientia, non dicam tantundem ſed vel *milleſimam* partem æquatura exempla ſiſti poſſent, quod usquam *vera* hectica inveniatur, ubi nullum præſtò ſit tale vitium in *viſcere*.

XIX.

Neque verò eadem penuria temporis, nobis permittit, etiam illud excutere, quod ſpeculationibus, citrà, imo contra, experientiam, indulgendo, in quæſtionem aliquando adducitur; nempè, an non etiam Febris *hectica*, talem *efficaciam* involvere poſſit, ut læſiones hujusmodi in *viſceribus*, illa potius excitet & *producat*, quam easdem *ſequatur*? Putamus tamen etiam breviter ejusmodi dubiis ſatisfieri poſſe, *tribus* modis: *Primò*, quod problematica talis dubitatio, de eo quod fieri fortaſſe *poſſit*, nihil inferat circà rem in *facto*, ſeu, à *poſſe ad eſſe non valeat conſequentia*: *Secundò*, quod tot aliæ ſpecies Febrium, etiam ſatis diu ſubinde patientibus inſiſtentes, & *hecticâ*, undique, tam *ferociores*, quam *potentiores*, tamen effectum ſimilem in viſcera nequaquam exſerant. *Tertiò*, ex adverſo verò, à quacunque etiam alia, imò *externâ* planè, *violentiâ*, productas ejusmodi læſiones *viſcerum*, *hectica* Febris, & certiſſime, & ſinceriſſimè, *ſectetur*.

XX.

Cum itaque, frequenti *experientiæ* inconcuſſæ teſtimonio, affirmemus, quod *hectica* febris, *internarum* partium *abſceſſiones ulceroſas* comitetur; proximum erit, aliquid diſpicere, de *cauſali* nexu & reſpectu, quo has res ſibi mutuò cohærere, agnoſci poſſit. Loquimur autem datâ opera, de *cohæſionis* abſceſſionum talium *internarum*, & *hecticæ*, *cauſali* habitu: non æque de *hecticæ* ipſius, quaſi ſubſiſtendi ſeu exiſtendi cauſis. Quamvis enim ſic ſatis certum ſit, quod vix agno-

ſci poſſit *mutuus* habitus diverſarum rerum, ſi ſingularum earundem *proprius*, planè ſit ignotus; Nec etiam, *omnem* conſiderationem veræ indolis ipſius febris *hecticæ*, ſeponere, in animo habeamus: Volumus tamen illud imprimis à nobis expectari, ut magis *comitandi* cauſam, hoc loco pro ſcopo habeamus, quam ipſam *propriam* ætiologiam, ceu ſeorſim & in ſe ſpectatam.

XXI.

Faſtidimus autem tractationem alteram, tanto magis & ſine dubio juſtiùs, etiam ex illa ratione, quod tanquam neceſſitatem nobis incumbere ſentiamus, defectus communium opinionum, omnis ævi, circa *indolem febrium in genere* & ſpecie, deſignare. Ubi neque, *quid ſit* hectica, nec *ubi* hæreat, aut ſedeat, quæ ſit ejus conſtitutio, ſive *materialis* ſive *formalis*, ſive ipſius inquam, ſive *cauſarum* ejus, usquam reperire aut noſtram facere ullam ſciremus ſententiam, quam cum re ipſa conciliare, & ſeriò tenere atque tueri, integrum nobis ducere poſſemus. Ita enim, quod febris *hectica*, ſit *intemperies* calida, in partium maxime *ſolidarum* corporis externarum *habitum*, *materiali* quadam ratione, introducta; adeoque ſedem ſuam, ſeu *ſubjectum* proprium, habeat, ipſum *habitum* corporis, ut *ſolidum*: minùs, niſi quidem plane non, affecta *fluidarum* partium temperie: quis conſenſerit? Qui calorem illum univerſum, magis â motu ſeu *tranſitu fluidarum per ſolidas*, quam ulla *materiali* conſtitutione in ipſis *ſolidis*, dependere, ſatis certo intellexerit. *Fermentationem* autem, etiam innominatam, ſeu tantum *ſui generis*, in maſſa ſanguinea, à certa ejus *materiali*, *perpetuâ*, labe, atque corruptela, pendentem, ita pro *cauſa* hecticæ fingere, ut illa eum *inteſtinum* motum agitet, qui tam *ſanguini*, quam toti *corpori*, *hecticum* calorem inferat: & ita *perennem* hujusmodi, tam *diuturnam* p. n. *fermentationem*, quæ nec turbet potentiùs, nec turbetur, &c: Certe eſt ſuprâ noſtram credulitatem. Contrà omnem vero noſtram rationem, quod *materialis* fomes, & ipſum veluti *fermentum*, hanc fermentationem producens,

in

in ſanguine poſſint eſſe *ἀπόῤῥοιαι* tales, quæ à v. g. *ulceroſo-ſanioſis* læſionibus in ſanguinem diffundantur; Cum plenus talium ſanguis, in *amplis, multis, acerrimæ* corruptelæ, etiam variarum ſpecierum, (*ſcabiei, luis venereæ, lepræ, phagedænicarum* exulcerationum,) ulceroſis infectionibus & impresſionibus, nihil quidquam tale producat: Ridiculum etiam foret, fingere, *ulcerationem* cujuscunque partis *internæ*, materiam gignere & *producere*, adeo ſummè differentem ab illa, quæcunque à cujuslibet *exterioris* partis ulceratione, conſurgere atque diffundi poteſt, &c.

XXII.

Quam ob rem, præſtiterit certè, relinquendo aliis liberaliter quæ ipſorum ſunt, etiam hic potius ſimpliciter *noſtram* ſententiam profiteri, quæ in eo conſiſtit, quod Febris hecti-„ ca, ſit auctior motus ſanguinis, perpetuæ neceſſariæ abſter-„ ſioni ulceroſæ labis, atque corruptionis in aliquo viſcere, de-„ ſtinatus: proportionatum augmentum caloris in univerſo„ corpore, proportionatam ſitim, exhalationis augmentum, „ urinæ aliquas mutationes, toni corporis peculiares motus„ vigilesque, & de conſtante duratione præcipui objecti ſui, &„ vix reparabili damno illo, circa quod labor ejus occupatur„ juſtè ſollicitos & faſtidioſos languores, involvens.

XXIII.

Hanc explicationem, ita applicamus, ad ætiologiam *nexus* hecticæ, cum illis *internis ulceroſo-ſanioſis* conſtitutionibus. Ne corruptio ulceroſa *invaleſcat*, iis in locis, ubi *adventitiorum* auxiliorum certo acceſſui & actui non patet aditus, non poteſt ulla alia ratione impediri, intercipi, præoccupari, excepta ſola illa, ut otioſa *reſtagnatoria collectio* humorum, circà partem corruptela illa inquinatam, non permittatur: ſed potius, incremento motus atque tranſitus *abſterſorii*, jugiter continuato, perpetuis ſucceſſibus diligenter *diſſipetur*; inevitabiles *pauciores* corruptelæ conceptæ, quantocyùs & ſine morâ, *abluantur*, & longè *auſſerantur*: imo receptatæ ita, & quaſi collutriatæ in ipſum ſanguinem, etiam ex hoc ſatis

tempeſtivè ita *ſecernantur* & *excernantur*, ne iterum iterumque, cum eo, ad partem ipſam revertentes, vel *irritationes* ad minimum, vel *læſiones* planè, ibidem intendant & augeant. Hæc autem opera, eſt tanto magis ſeriò neceſſaria, illis partibus, quarum integritas, longe *nobilisſimi*, & minime negligendi, *omittendi*, nedùm *amittendi*, eſt uſus: *reparatio* autem, ſeu nova conſtructio, non ſolum, tanquam *à priori*, inſolita in corpore ſemel formato, ſed etiam per rationes ſatis luculentas *Phyſico-mechanicas*, (intuitu *inceſſabilis* uſus, & unà exquiſitæ organicæ *conformationis*,) velut impoſſibilis. Quibus nempe reſpectibus, tanto, imo nimiò magis, neceſſarium eſt, actum hunc, pro *inhibendo progreſſu* talis læſionis quantumcunque efficacem, *propter* harum maxime partium ſaltim auxilium, gnaviter ſuſcipi, & quantum licet acriter geri & adminiſtrari; quàm in aliarum partium, *ignobilis* uſus, & ſimplicioris atque rudioris *ſtructuræ*, pari affectu. Cum autem unicum *inſtrumentum*, totius hujus intentionis executioni idoneum, aliud nullum præſtò ſit, quàm motus *progresſivus* ſanguinis: hujus autem *augmentum*, omninò *ſequantur*, ceu ſymptomatica ratione, illa, è quibus vulgò *febres* dijudicant & quaſi definiunt: Dilucéſcit hinc facile, quamobrem etiam hic actus, in *febrium* cenſum vocari ſoleat.

XXIV.

E tali verò, conſideratione æquè atque æſtimatione, *hecticæ* febris, facile deinde intelligi poteſt, quo usque, & quo intuitu, atque efficaciâ, juxtà prævalidum *incrementum læſionum* hujusmodi, in ipſo aliquo *viſcere* hærentium, *irreparabilium*, ſed ad majorem, imo ſummam, corruptionem tendentium, aut ruentium, *Febris* conjuncta pares præ ſe ferat progreſſus. Nempè, non tam, quod eadem foveatur, gignatur, aut producatur, tanquam *materialiter*, ab illa tali *corruptione*; ſed, quod potius eidem ita contrà *opponatur*, & velut *obtendatur*, motus hic *febrilis*: & tantum, & tamdiu, ſine ceſſatione, exerceatur, quantum, & quamdiu utique, locum adhuc habet qualiscunque *abſterſio*, liberioris & quaſi ſibi relictæ corruptionis

nis

nis æquè, atque coacervationis circa ipſam partem affectam, *concusſio*, atque ſtagnationis *diſtractio*, eoque ipſo, tam ſecretio, ſeu *remotio*, quam tandem è toto corpore excretio, imprimis activiſſimarum partium, totius corruptelæ. Quod nempe univerſum, abſolui tantiſper poteſt, per *vividiorem motum* ſanguinis *progresſivum*; qualis autem, cum ante dictis conſectariis atque circumſtantiis, infert illud ipſum, quod vulgo *Febrile* vocatur: & ſub hoc *gradu*, & hac non ſolùm *perenni*, ſed etiam diu *æquabili*, *continuitate*, illud ipſum eſt, & ſiſtit, quod *hecticum* appellatur.

XXV.

Differentia vero *hecticæ* febris, horum generum, nempè plus minus manifeſtò, aut certè quam probabiliſſimè, *viſcerum* læſiones comitantis, in ea ſine dubio quærenda erit, *duplici*, circumſtantia. *Primò*, quomodo differat atque variet læſio *viſceris* ipſa; *Deinde*, quomodo *viſcus à viſcere* differat, tam *dignitate* atque *necesſitate* uſus: quam etiam *progreſſu*, in uno viſcere, præ altero, aut parte ejus una præ altera, importuniore. Ita enim, *primo* intuitu, eſt aliquando conſtitutio in pulmonibus, nondum in *actum* ſanioſo-ulceroſæ corruptionis deducta; ſed ſubſiſtens adhuc, in *ſcirrhoſis nodis*; quales non ita raro inveniuntur in apertione cadaverum, materia *livida*, *tenaci*, *viſcosâ*, ſufferti. Quando hæc ſenſim *ulceroſam* acrimoniam concipit; aut veram quidem jam *exulcerationem* ſubiit, ſed magis adhuc *ſalſam*, quam *ſanioſo-purulentam*, (qualis cito depaſcit, ſeu colliqueſcit,) ſub quali nempe conſtitutione, etiam diu ſatis *lenta* atque languida, manere poteſt ipſa quoque febris *hectica*, æmulans nempè ipſum gradum & proportionem dictæ læſionis. Quando vero hæc potentius *graſſatur*, & jam *colliqueſcentem* ſanioſam corruptionem, impetuoſius perſequitur; Quandocunque ad hunc gradum pervenit, eſt, eâdem proportione, incitatior ipſa etiam hectica. Ad quas res, puto ſupervacuum eſſe, monere, quod multum conferre poſſit, peculiaris in uno patiente præ altero *dyſcraſia humorum* ita *Cacochymica*, ut *ulceroſas* corruptiones

tanto magis fovere, iisque vires addere poſſit: ſive denique jam intimius humoribus *impreſſa*, ſive propius diætæ vitiis innixa, ſit

XXVI.

Quod autem ipſas partes affectas attinet, uti *rationi* conſonum eſt, ita teſtatur ipſa *experientia*, quod *ulcerationes* hujusmodi, *pulmonibus* obtingentes, ſub reliqua pari conditione *ulceroſæ* energiæ, perpetuo deterioris ſint, nempe præſentioris, ſucceſſus, quam ſimiles, quæ *renibus* obtingunt: Quandoquidem, hujus poſterioris generis exempla aliquot vidi Præſes, inter quæ tamen eminebat unum, generoſæ matronæ de *Marſchal*, familiâ Budewelſiæ, jam beatæ: quæ ad minimum decem annis, *renis* ſiniſtri *ulcus*, & unà *hecticam* febrem, geſtavit perpetuam comitem: VSnibus imprimis æquinoctialibus, evidentia levamina debentem. Generoſa verò etiam Conjux Cancellarii Saxo-Vinarienſis V. Happen/ ſimili *ulcere* per ſex circiter annos languens, & ſenſim extabeſcens, tandem, ceſſante excretione *muci ſanioſi*, citiùs etiam abſumta eſt.

XXVII.

Poſtquam autem ita ſatis prolixè, ea, quæ ad veram indolem *hecticæ* febris, *abſcesſibus* viſcerum junctæ, pertinere videntur, enumeravimus, facimus progreſſum, ad *Medicam* hadentur rerum, earumque uſuum, conſiderationem & æſtimationem. Ubi antè omnia, & certè primo loco, ratio habenda eſt *Diagnoſeos*; quomodo nimirum, & unde, cognoſci, aut certò concludi poſſit, non tàm æquè ſolum in genere, AN præſens aliqua talis, *diuturna*, ſatis *evidens*, *febris*, reverà *fomitem* habeat magis, quàm *comitem*, *abſceſſum* aliquem *internarum* partium: ſed &, deinde, quam maxime, *qualisnam* partis, *qualem* abſceſſum? Unde videlicet, tanquam evidentius deduci poſſit, imprimis *acrioris* alicujus talis *febris*, *mos*; ratio, inquam, atquè proportio: unde etiam *reciprocè æſtimatio* fieri poſſit, ipſorum talium *abſceſſuum*, quanti ponderis & momenti iidem æſtimandi & habendi veniant.

XXVIII.

Meritò autem diximus, quod non tam *præcipua* ratio habenda videatur, illius *generalis* reſpectus & quaſi quæſtionis, an, quæcunque, quæ pro *hectica* agnoſci meretur, *Febris, ab abſceſſu* tali foveatur? Cum neque diſſimulaverimus, nec adhuc dum diſſimulatum illud velimus, quod hecticæ febris *cauſam* quam minimum dubitemus, *perpetuò* eſſe, conſtitutionem in *viſcere* aliquo, vel *ulceroſam*, corruptioni *proximam*, quin imminentem; vel *actu* ulceratam ſeu in effectum deductam. Illud autem, ſine dubio, dignius fuerit, prudente æquè atque peritâ prorſus, æſtimatione, quomodo *hectica* Febris, *verè* talis, dignoſcenda veniat, à ſimpliciore, & tantiſper quaſi nudâ, *lenta*? Quæ nempe diſtinctio, quomodo ſubinde, non ſolùm verum, ſed etiam omnino luculentum, uſum habeat, poſſunt utique indicare exempla talium offenſionum, quales ſibi eveniſſe, nemo honeſtæ exiſtimationis atque benè meritæ famæ conſcius Medicus, in ſe cadere voluerit. Præſertim, ſi eo imprudentiæ ſemel rem projecerit, ut vel affectatæ calumniæ, vel manifeſtæ ignorantiæ, ſtrictum Dilemma, evadendi locum atque viam ipſi præciderit. Quamlibet quidem honeſtis Viris, utique omnium harum rerum nulla neceſſaria ſit cautio: Id quod experientia doctus, Ego Præſes loquor & affirmo.

XXIX.

Eſt autem omninò ſecuriſſima via, de *hectica* potius, quam levidenſi aliqua *lenta* Febre, judicium & indicium formandi atque proferendi, I. quando affectus aliquis *inflammatorius, internus*, ita in patiente *præcesſit*, ut eundem comitata *acutior* febris, *continuato ſucceſſu*, licet imminuto *impetu*, non ſolum ſtatim exceperit, & jugiter proſequatur: ſed etiam II, à verà ſimpliciore *Lenta* differat, *eſſentialibus* illis circumſtantiis præcipuis, *gradu* imprimis, *languoris, faſtidii*, mali *ſomni, extenuationis* augeſcentis, conſtantium levium *exacerbationum*, poſt aſſumta: maximè omnium autem *durationis* ſeu *continuitatis* ad plures *ſeptimanas*, ſine *typica* mutatione.

III.

III. maxime vero, manifeſta increbeſcente *conſumptione tabida*: & IV. augeſcente, per chronicos ſucceſſus, omnium etiam reliquarum *Vitalium* actionum, *languore* & *torpore*. V. Obtingentibus etiam *exacerbationibus* ſatis acribus; quæ tamen neque tunc, aliquid verè *typicum* efforment, neque, conſumpto *ferociore* illo impetu, ad *ſanitatem*, ſed ſolum iterum ad *languidiorem* talem *Febrem*, revertantur, eumque conſtanter ita proſequi pergant. Quæ omnia tanto magis, VI. confirmantur, & velut obſignantur, quando tota talis Febris, cum *viribus corporis* & *animi* patientis, ſemper potius in *pejus* procedere, videtur ſeu ſentitur, quàm, ut *miteſcere* obſervetur.

XXX.

Quamvis enim minimè negemus, nec incognita ſint nobis ejus generis exempla, quod etiam veræ *hecticæ*, ſua aliquando *intervalla mitiora* ſimulent: quando nempe ipſa cauſa, quæ *fomitem* præbet, lenior quidem eſt, atque mitior: *Exacerbationes* autem, magis ab *externis* occaſionibus temporariis, quam ab *interna* affectus ipſius prauitate, dependerunt. Tamen non ita facilè fallere poteſt decenter circumſpectum obſervatorem, quod omnes etiam tales *induciæ*, longe adhuc abſint, à quacunque fide digna *ſecuritate*, & plauſibili ſpe ſolidioris *in integrum* reſtitutionis. Manentibus nempe ad ſummum, ſenſibilibus ſemper iſtiusmodi *langvoribus*, & reliquis manifeſte Febrilibus commemoratis ſymptomatibus.

XXXI.

E quibus, inquam rebus, condignè ad animum revocatis, non poteſt non diluceſcere, *Hecticæ* febris præſentia: Et, quantum nobis videtur, etiam ſummo jure hinc ſuſpicio formari poteſt, omninò complicati *interni* alicujus *abſceſſus*. Interim altera illa conſideratio *ubinam* talis propriè hæreat atque reſideat? ex alio utique fundamento deſumi debet: non præbente hic ipſa *hectica*, ullum, cui ſatis ſecurè inniti liceat, ſignum aut indicium. Quamquam autem omninò etiam hæc ipſa ſignificatio partis verè affectæ, non aliunde expectari ſincerè debeat, quam à *ſenſationibus* in ita affecta parte ægro obtin-

tin-

tingentibus; aut, procedentibus certius à tali parte *excretionibus* quibusdam; hæc ipſa verò reverà, aliquando etiam deeſſe, præter omnem expectationem, adeoque fruſtrari Medici attentionem poſſint, ut veram *ſpecialisſimam* hujusmodi rationem ſatis ſecure decernere non valeat: Non poteſt tamen circumſpectam ejus & condignè ſolertem, perquiſitionem ſubterfugere, ejusmodi prægreſſorum pathematum detectio, è quibus ſatis luculenter *in genere* dijudicari poteſt, quod ad minimum initium, unde hujusmodi febris manifeſtius cœperit, & poſtea jugiter continvaverit, ab ejusmodi affectu cœperit, qui pro inflammatorio-ulceroſo probabilisſimè haberi poſſit.

XXXII.

Submittet autem utique, conſcientiæ atque prudentiæ recte memor Medicus, tanto magis animum, hujusmodi ſcrutiniis atque penſitationibus maturis, tanto majore cum cura atque circumſpectione, quando patientem præ oculis habet, à *longo* jam tempore, *vario*, & plus minus *perpetuo*, valetudinis peſſimo habitu, ita obſeſſum, ut potius qualiscunque tolerabilis *euphoria*, tanquam aliquid peculiare atque *rarum* in ipſo annotari debuerit. Et illa etiam ipſa qualiscunque euphoria, tanta *ſenſibilitate* atque facillima offenſione obſeſſa ſentiatur, ut *aura* inclementior, *tempeſtatis* mutatio, etiam *libero* aëri non ſe exponente ægro, quælibet *acidorum*, aut *crudiorum*, in cibis aut potu aſſumtio, quæcunque *ſenſilia animi pathemata*, *motûs* etiam corporis, aut *ſomni* & *vigiliarum*, leviores quælibet *ataxiæ*, mox evidentes aliquas *langvidas* perturbationes poſt ſe trahant: *Color* etiam corporis atque faciei, communiſſime ſit *albopallidus*, ſub oculorum orbita *lividus*, *habitus* corporis, vel nullum *incrementum* oſtendat, vel inter laxam *mollitiem* & *flaccidum* marcorem quaſi fluctuet: familiares etiam admodum ſint patienti, jam *volatici calores*, cum evanidis & affectatis quaſi tantiſper *ruboribus*, præcipue *ſolarum genarum*: (quales etiam ipſa plebs paſſim notat *phthiſicæ hecticæ* exacerbationibus ſociari,) Talibus inquam rebus, ſiue coram inſpiciendo obſeruatis, ſiue ſolerter exquirendo perve-

ſtigatis, ſecuriſſimè certe ſuperſtruere poteſt Medicus, judicium ſuum, quod *ſupervenien*s, & per ſeptimanas aliquot *continuans*, ſenſilior ejusmodi conſtitutio, qualem ſub hiſtorico *hecticæ* ſchemate deſcripſimus, reverà ſit hæc, & non alia: *Hectica*, inquam, febris. Altioris ſemper indaginis; & *læſioni* innitens *internæ* omnibus modis *difficillimæ*, & vix unquam *ſalutaris* ſpei *prognoſin* admittente. Ubi nempe iterū iterumque, nimium quantum Uſus, pro hujusmodi veræ practicis judiciis formandis, *habebit*, aſſumtio laudatæ à nobis illius ſententiæ, quod, omnibus ſignis atque circumſtantiis ſui, *evidentem hecticam*, ita certò, ut fidere liceat, foveat *ulceroſa* difficillima læſio *viſceris* alicujus, potiùs, quam levis forte aliqua, & facilius reparanda aut ſuperanda, v. g. (ipſa quoque frequentiſſime in cerebro ſpeculatorum otioſorum ſolum oberrans,) *obſtructio* viarum meſeraicarum, *atrophiam*, vera *privatione* ſeu intercepitone *commeatus* alimentarii, machinans.

XXXIII.

Ubi interim ingens intercedit differentia, inter ingenuam, & omnibus modis cordatam atque honeſtam, *confesſionem* Medici, ab inhoneſtis intentionibus umbratilium ſimulationum & diſſimulationum alieni, quod è *confuſis*, aut planè (*rarioribus* exemplis) *deficientibus* fidelibus *ſignis*, definiri *certò* non poſſit, quænam *pars*, in præſente aliqua *hectica* conſtitutione *propriè* laboret: Et inter frivolas quaslibet phantaſias, de inauditis conſtitutionibus, quæ poſt mortem ægrorum, nusquam appareant. Quarum priorem candidè profiteri, nimiò certè honeſtius eſt, quàm, per *inſcitiam* quidem partim, (de hecticæ, & læſionum internarum, *diversâ* propria & eſſentiali indole, certâ vero *communi* & *ſocia*, conſpiratione,) Partim autem impotentiam, (verum artis defectum cordatè confitendi, incondito autem faſtu de omnibus rebus, tanquam noſtræ ſapientiæ in meridiana luce poſitis, argutandi,) ejusmodi ſententias proferre, quæ contrà *rationis*, *experientiæ*, *theoriæ*, *praxeos*, *posſibilitatis*, & *exemplorum*, omnem fidem, non ſolùm tanquam *à priori* offendant, ſed etiam *à poſte-*

ſteriori, parvo poſt tempore, *contraria è diametro* conſtitutione in corporibus ita defunctorum reperiunda, ejusmodi, non magis *ſcientiæ*, quam *conſcientiæ præcipitia*, omnium moderatorum hominum averſioni objiciant. Id, quod ego Præſes, moneo atque noto, & omnibus Medicinam tractantibus, præ oculis habendum, ſeriò commendo.

XXXIV.

Tantò magis autem adhibenda ſemper eſt prudentia decens, & omnibus modis circumſpectiſſima, in ferendo judicio, de caſibus ita *implicitis*, ut revera valdè *inſolitum* atque *rarum* aliquid præ ſeſe ferant; & per circumſtantias, vel nondum ſatis penſitatas, & plene perveſtigatas, vel aliquid manifeſtius intricati offerentes, indubiæ determinationi, citrà temerarii auſus notam, nullum locum concedant. Quamvis enim eò, hodiernis perditis moribus, negotium reciderit, ut minime deſint, aut ignoti ſint, quos nihil quidquam pudeat, monſtra opinionum, potiùs in medium proſtituiſſe, quam ſtatuiſſe: Eſt tamen alia ratio, honeſtatem etiam ita reſpiciens, ut ſine hujus amiſſione negligi non poſſit, quando per pœnitenda, cruda, & perverſa, de talibus rebus judicia, etiam meliorum bona exiſtimatio & integritas, ita ſugillantur atque ſupplantantur ut nemo cordatus atque probus arbiter, dubitatione, ſeu juſtiſſima ſuſpicione animum exuere poſſit, quod tam adverſus omnem probabiliſſimam rationem, *à priori*, quam poſthac manifeſtò repertam experientiam *à poſteriori*, vibratæ monſtroſæ contradictiones, malas artes & detractorias intentiones, pro ſolido fundamento habeant.

XXXV.

Ut autem res clariores fiant exemplis, placet *tria* talium rerum ſpecimina, fideli hiſtoricâ commemoratione, ſiſtere. I. Adoleſcens generoſus, toleraverat ab ipſis pueritiæ termi-„ nis, a nono aut decimo anno, ad 16. usque annū, magis magis-„ que, licet ſic ſatis lentis progreſſibus increbeſcens aſthma, ſeu„ minus liberam reſpirationem. Comitabatur hoc tuſſis,„ equidem perennis; ſed neque conſtanter ita violenta, nec„

„etiam excretionis quantitate aut qualitate ita comparata, ut „de vero pectoris habitu, ſatis clarum argumentum, nedum "documentum præbere potuiſſet: vivebat interim patiens in "tali conſtitutione, ut quidem ſemper ſenſibiliſſime aliquid af- "flictæ valetudinis præ ſeſe ferret, & ad varias mutationes fa- "cile, imo ſic ſatis valde, ſenſilis obſervaretur: interim utique "neque lecto ſæpe aut diu ſeſe mancipare cogeretur, nec etiam „alia ſigna tam maximopere affectæ ſanitatis exhiberet, quam- „diu cum cura ab exceſſibus circa res non naturales ſeſe con- „tineret: Inter quales imprimis intemperatiores motus cor- „poris aliquoties ipſum ita male affecerunt, ut exacerbata ſum- „mopere illa reſpirandi anguſtia, & ſtangulatoriæ ſuffocationi „proxima, funeſti exitus propinquum metum faceret, ſimul "tamen iterum iterumque, unius aut alterius diei decurſu ita "miteſceret, ut evaneſcente hoc metu, ſenſim etiam omnia ita "conquiniſcerent ſymptomata, & ad tolerabilem illam vale- "tudinis latitudinem obtingeret reditus, ubi vix magnopere "valetudinariam, ut cum vulgo loquar, imbecillitatem ſemper „æqualiter perſentiſceret aut exhiberet. Quin augeſcebat, „etiam & adoleſcebat ea menſura, ut, licet non æque vividum „incrementum aſſequeretur, ſed teneriorem, quam pro paren- „tum & ſororum modulo, ſtaturam ſervaret, nequaquam ta- „men argui poſſet, præ morbida ſanitatis oppreſſione, penitus "in hac parte deficere aut deſtitui, nedum ut poſitivo aliquo "decremento conſpicuus fuiſſet. Dedit autem peculiariter "evidens documentum, obſtinatæ illius conſervativæ vitalis "energiæ, dum nivali hyberno tempore, largo potu, genero- "ſi exotici vini, quod vulgo Sect appellant, temere potitus & "abuſus, præterea in frigido aëre, nocturno jam tempore in- „ter publica ejus diei ſolennia, diſcurſatione multa exagitatus, „in tantam oppreſſionem anhelitus, imo ſpaſticas cohibitio- „nes, incidit, ut mox animam agere videretur, nihilominus „tamen ex his ultimis anguſtiis iterum emerſit & ita ad ſe re- „diit, ut proximis poſt diebus non ſolum in prædium ſuum „revehi potuerit, ſed etiam ad ſolitam illam reliquam toleran-

tiam inde redierit. Vertente interim anno corripiebatur,„ non ſolum generali vehementiſſimo inſultu hujusmodi op-„ preſſionis pectoris, ſed & ſimul ſpecialiſſima peripneumo-„ nica acerrima ſenſatione, febrili æſtuatione & univerſa-tali,„ qualis vulgo pleuræ inflammationi aſſignatur, paſſione. Quia„ tamen familiares exiſtimabant, eſſe nihil aliud, niſi uſitati„ ipſius affectus notam etiam ipſam exacerbationem reſuſcita-„ tam, adeoque diu ſibi noti, & rerum etiam ſuarum ſatis dex-„ tre periti Chirurgi conſilio uti, ſatis ducerent; increbeſcen-„ te magis magisque vere acuti ſchematis continuo progreſſu, „ & veluti per paroxyſmos quosdam magis obruente anguſtia„ illa ſuffocatoria, octavo tandem die vivendi finem fecit. A-„ perto corpore inventa eſt ſiniſtra pectoris cavitas, exquiſite,„ impleta ſuffarctu puris; cujus bona quidem portio ſatis„ mollis atque diffluens, ex albo flaveſcentem etiam colorem„ atque conſiſtentiam exhibuit: Reliquum autem, magis ma-„ gisque ſpiſſam unguinoſam conſiſtentiam & ex flavo, li-„ veſcentem colorem obtulit: reliquum tandem imprimis„ autem quod fornici thoracis, maxime omnium autem ſterno„ firmiter adhærebat, caſei friabilis duritiem æmulans, durius„ certè butyro, colore è gryſæo vireſcente, multum pariter,„ etiam ipſum erat. Educto vero hoc, inveniebatur utique,„ adhuc pulmonis portio, primo aſpectu ſatis magna; quæ„ vero ſtatim puris ſuffarctu ipſa etiam turgere animadverte-„ batur, tanto manifeſtius cum quaſi ſtabilem ambitum forma-„ ret ſinuoſæ excavationis duplicis, è quibus major mediocris„ adoleſcentis, minor pueri robuſtioris, pugnum recepiſſet.„ Ubi ſimul ſternum hujus lateris ſub viridi illo denſo pure,„ notabiliter adeſum & arroſum ſpectabatur. Talem itaque„ exitum habuit conſtitutio hujusmodi, à longo utique tem-„ pore graſſatæ, & tamen nondum totum pulmonem depaſtæ„ hujusmodi corruptelæ, lentæ admodum & ſucceſſivæ: cum„ hectica ita leniſſimè ſub ordinariis progreſſibus complicata,„ ut à familiaribus magis valetudinis delicatæ vitium, quam ve-„ ra hectica, reputaretur: emicantibus interim utique acutio-„

„ribus nimis quam manifeſto febrilibus exacerbationibus,
„quoties oppreſſorius ille infarctus, aſperius angeret, & obſi-
„deret patientem.

XXXVI.

II. Vir 33. circiter annorum, corripiebatur tempore au-
„tumnali tuſſi vehemente, ſicca & ſonora, ſine ullius materiæ
„rejectione; quæ ſubſecuto vere, febrem acutam cum peri-
„pneumonicis aut pleuriticis doloribus, comitem adſciſcebat.
„Cui cum pilulæ pectorales opiatæ, frequenti uſu adhibitæ
„eſſent, excreta tandem fuit per tuſſim, multa materia, ſed ſine
„levamine: manente potius difficili & anxia reſpiratione, aſ-
„ſumtorum ciborum veloci vomitu, corporis extenuatione,
„& ſummo virium lapſu: ſub quibus tamen rebus deſinente
„acutiore febris typo, ſed remanente hectico calore & languo-
„re, orthoſtadiam tamen, & laborioſam eccleſiaſtici officii ad-
„miniſtrationem, qualitercunque adhuc tolerante, in hye-
„mem usque ſequentem; Ubi etiam purpura miliaris emi-
„cuit, quæ tamen vacillante inconſtantia, iterum iterumque,
„& tandem penitus, delituit. Intercedentibus paucis die-
„bus, mane quodam, Aſthmate corripitur, ita vehemente, ut
„vix hiſcere liceret: ſimul verò cooriuntur dolores vehemen-
„tes in pectore & abdomine, accedente etiam alui contumaci
„adſtrictione. Perſiſtebant hi dolores, per 12. dies noctes-
„que. Aluus tympani more inflata, ita pertinaciter reſtitit,
„ut præter interna tentamina, etiam viginti clyſteres aſper-
„nata ſit. Dolores interim intolerabiles, vellicationes, ro-
„ſiones, & imprimis ardor exquiſitiſſimus, tanquam circa re-
„gionem lienis, nihil intermittebant; imo graſſabantur ita
„per univerſum corpus, ut nihil niſi caput, liberum ab illis re-
„maneret. Soluta tandem, ſucco pomorum Borsdorffiano-
„rum, & temporis concurſu, alvi illa obſtipatione, & excuſſis
„imprimis copioſis flatibus, cum ſubſidente ita abdomine,
„ceſſarunt etiam dolores illi acuti, remanente ſolum contu-
„ſorio quodam ſeu ἑλκώδει. Evaneſcebat interim, ſolito mo-
„re, in ſiniſtro pectoris latere aliàs tactui occurrens pul-
ſatio

ſatio cordis, & transferebatur in dextrum latus: ſiniſtrum,„ autem pectus diſtendebatur extrorſum, inſigni protuberan-„ tia. Anguſtia anxia, reſpiratio difficillima, tuſſis continua,” ſomnus, niſi hora aliqua matutina, nullus. Tale ſchema ad” 4. annum, ſub incredibili patientis miſeria, durabat: Ubi” nunquam jacere integrum erat ægro, niſi fortè in ſini-” ſtrum latus inclinato aliquamdiu corpore. Tandem” oriebatur œdematoſus tumor, qui magis magisque in-” crebeſcens totum tandem corpus explebat. Irritis o-„ mnibus conſiliis & auxiliis, auſcultatur tandem Chirur-„ go perito, paracenteſin ſvadenti; quâ à tergo ſuſcepta,„ erupit ſubſtantia lactis æmula: cujus prima vice tres libræ,„ emiſſæ ſunt: Altero die mane quatuor libræ: veſperi & ſe-„ quentibus diebus tribus, tantum per vices emiſſum eſt,” ut 12. Menſuras, adeoque 24. libras excederet. Poſt” quam evacuationem, cum indies, non ſolum reſpirationis,” ſed etiam reliqui motus corporis, iterum magis magisque” compos fieret æger, quoties corpus concuteret, audiebatur” ſtrepitus quidam in hac cavitate pectoris, ſimilis agitationi” lintei madidi, per aliquod ſeptimanas. Continuabatur non„ ſolum eductio materiæ, ſed etiam injectio liquorum vulnera-„ riorum, multo tempore; primò non ſine variis doloribus,„ foraminis inciſionis: quod tamen magis magisque occalle-„ ſcebat, ut poſt 3. annorum decurſum, ceu cartilagineam du-„ ritiem æmularetur. Continuabat interim, & per hos, & ul-” terius ſubſeqvutos annos, quotidianus effluxus ejusmodi ma-” teriæ lacteſcentis, communiſſime ita, ut ſingulis 24. horis,” quantitas circiter VI. unciarum emitteretur. Cæterum con-” tinuavit hanc conſtitutionem, recte numerandò, ad quatuor-” decim, à primo initio, annos. Et poſteaquàm liber efflu-„ xus materiæ, etiam cum ſymptomatibus, à foramine illo in-„ tercoſtali adhuc crudiore, ceſſantibus, commodius proces-„ ſit, ita ad ſe reverſus eſt æger, ut etiam muneri ſuo Eccleſia-„ ſtico, operoſiori quoque, bene ſatis faceret; ita tamen, ut con-„ ſtanter, affectum eſſe totum valetudinis robur, imbecillitas„

viri-

„virium,langvores prompti, color pallidus & varius, corporis „macies, tuſſis frequens & varia, familiarius tamen breuis & „ſicca, neceſſitas tenuis & ſimplicis victus, &c. ſatis teſtaren„tur. Quamvis autem miræ ſpeculationes, circa hujus affe„ctus indolem, obortæ ſint, & ante omnia Empyemati omne „jus circa eundem abjudicatum: poſtquam tamen mortuus „tandem patiens, ſectionis ſcrutinio ſubjectus eſt, patuit ocu„lis, abſumtio totius, in hoc latere pectoris quærendi, pulmo„nis, ad exiguum usque quiddam reſiduum: collecto etiam „ex ultimo, licet brevi ſatis, exaſperationis effectu, decubitu, „copioſiore, vero, pure.

XXXVII.

Tandem autem quaſi parallelum quiddam patuit in corpore SERENISSIMI PRINCIPIS JUVENTUTIS, tenerioris adhuc ætatis, nempe IX. nuper expleto anno. Vi„xerat hic à prima ſtatim infantia, imo in illa ipſa, valetudine „ſemper multis modis afflicta. Non deficiente ſolum quali„cunque corporis robore, ſed etiam manifeſtis variis atque va„gis inquietudinibus, phlogoſibus, ardoribus, catarrhalibus „phænomenis, continuâ ſerie obſeſſus. Inter quas res im„primis conſpicuum fuerat, quod *totum ſiniſtrum latus tam* „*pectoris, quam abdominis, illud compreſſum, hoc veluti va*„*cuum, compareret, in dextrum latus, quaſi tota translata, &* „*impacta, contentorum quantitate.* Sub his rebus, & maxi„me ſollicita obſervatione rerum non naturalium ſuccreſce„bat tamen, utut langvide: erat etiam conſiſtentia corporis, „marcida atque flaccida, nihil pene rectè firmi atque denſi ex„hibens: color pallidus communiter, aut certe plurimum eva„nidus: Catarrhales, & rhevmaticæ moleſtiæ, familiariſſimæ: „Ciborum, niſi molliorum, manifeſta dysphoria: Tuſſis fa„miliariſſima: alvus, uſitato ſegnior & ſiccior, binis aut ter„nis diebus exſpectanda. Sub tali conſtitutione, cum jam ſex„tum annum attigiſſet, per pavimentum inæquale, pluſculos „greſſus, ſine manuductione proſequi difficile. Septimo an„no morbillos, cum multa debilitate & ambiguo ſucceſſu, tan-

dem

dem tamen ſuperauit, remanente interim ſatis longa imbe-„ cillitate. Mutato tandem, per initium octavi anni, loco &„ aëre, viſus eſt pulchrè vires colligere, & vixit, per annum cir-„ citer, commodius, quàm antehac: niſi quod habitualis quaſi" propenſio ad rhevmatico-catarrhales inſultus, frequentem" medicationem poſtulare reputaretur. Sub anni illius ini-" tia, corripiebatur variolis; ſub quarum plena eruptione," usque ad ſeptimum, erat quidem ſatis debilis, inquietus," appetitus & ſomnus etiam ſatis exigui: quia tamen & exibant" & ſuccedebant, quantumlibet etiam copioſæ, ſatis tranquillæ," tamen, ipſæ puſtulæ, ſervabatur medicatio placidiſſima, &„ quantum fieri poterat moderatiſſima: ſuccedebat matura-„ tio penitùs ad votum, ſub qua, magis magisque miteſcebant„ pathemata omnia: rumpebantur puſtulæ, ſiccabantur, deci-" debant. Appetitus, ſomnus, vires, alacritas, redibant præ-" ſentiſſimis ſucceſſibus: ſequebatur talis ſanitatis integritas," *cui nulla par præceſſerat.* Videbatur, imo ſentiebatur," imprimis in longitudinem, probè ſuccreſcere; quin etiam" habitu ipſo conſpicuè augeſcere. Color erat quidem, tan-" quam ad antiquum modulum, palleſcens; ſed oſtendebat" magis magisque, firmam ſpem conſtantioris emendationis:„ imprimis, quando motui corporis aliquantùm indulgeret.„ Tuſſis, quæ inde ab infantia & frequentiſſimum & ſæpe nu-„ mero vehementiſſimum, ſymptoma exhibuerat, poſt variolas„ tam rara atque levis, obſervata fuerat, ut integri anni decur-" ſu, vix duabus vicibus, per duos, tres, dies, tantum negotio" faceſſere ſentiretur, ut in liberum aërem progredi, minùs" conſultum videretur, ſervata interim uſitato, conſuetarum" ſuarum diurnarum exercitationum, tenore atque proſecu-" tione alacri. Reliquam autem hunc univerſum annum, uti" dictum, exegit, tanta univerſæ ſuæ valetudinis alacritate, &„ conſtantia, cui vix parum, *nunquam autem majorem*, toto„ vitæ ſuæ decurſu oſtenderat.

XXXVIII.

Quatuor autem, circiter, ſeptimanis, ante plenum cir-„

„cuitum integri anni, à tempore variolarum ſuperatarum, „notabatur Tuſſis quædam; crebrior aliquantò, ſed tamen „ſatis moderata: conſtanter autem ita vacua, ut nullam hu„miditatis excretionem comitem oſtenderet. Quamlibet „coryza, veriùs autem gravedo, concurrere ſentiretur. Erat „tempus hybernum, proximè feſtum adventus Domini; con„ſpirabat tempeſtas etiam, & quidem humido-frigida magis, „quam rigidior ſicca. Non ſentiebatur inſuper ullum detri„mentum reliquum, uſitatæ alioquin conſtitutionis: con„ſtante ſibi, ſine alteratione, appetitu, ſomno, corporisque „viribus, ſine ullo languore: & animi jugi alacritate. Subin„dicabat equidem aliquoties Sereniſſimus Patiens, ſenſum „alicujus doloris; ſemel etiam aut iterum compunctionis „cujusdam: ſed infrà infimas coſtas nothas, in regione ilium, „in der weichen Seite/ zu höchſt unter den kurtzen Rippen; Sed „erat hujus ſenſûs, & mentio ita rara, & commeratio ita velu„ti tranſitoria, ut etiam ſuſpicio eſſet, pulicis morſum in cul„pâ eſſe: Quam ob rem etiam ne quidem indicandum aliquid „de his phænomenis Medico, neceſſarium apparebat, cum „nulla querimonia effatu quaſi digna, usquam occurreret. „Poſt quatuor, aut paulo ampliùs ſeptimanas, nempè primâ „horâ poſt mediam noctem natalis Domini inſtantis, evigilat „è ſomno Sereniſſimus Patiens, cum quiritatione ſtatim anxia, „de dolore, in alias indicato loco, nunc exquiſitè, urgente: „Quin augeſcit querimonia, ad ejulatum penitùs, inſolitum: „imo ultimò, ad exclamationes anxias, cum jactationibus cor„poris, inquietiſſimis. Durat hæc vehementia, ad ortum „propemodum diei, ubi leviter interquieſcere, & obdormi„ſcere ad dimidiam horam, obtingebat. Poſtquam etiam e„vigilaret, videbantur ita ſedata omnia, ut de templi viſitatio„ne mentionem faceret; & quamvis minus ſecurè hoc au„dere licere, monentibus conſentiret, proponebat tamen ani„mo, verſus meridiem ſurgere, & prandio aſſidere. Poſtquam „autem, hâc intentione lectum relinquens, indui occiperet, „recrudeſcebat denuò immanis dolor, & exercebat vim ſuam,

per

per duas circiter horas: quarum exitu demum miteſcebat, &,„ externis internisque diſcutientibus, tantò magis obſequeba-„ tur: cum etiam largus ſudor, non ſolum erumperet, ſed„ etiam, moderato quidem, ſed tamen conſtanti, ſucceſſu, to-„ tum illum diem atque noctem proſequeretur. Quemadmo-„ dum autem, ſtatim à primo inſultu, æſtus acutus, & ſitis admo-„ dum urgens, mox concurrere cœperant, ita manebant hæc„ utraque, remiſſo licet magis magisque dolore; cui etiam„ ſociabatur ſomni defectus. Proximo die, propemodum„ omnis perceptio doloris evanuerat; Tertio vero, etiam„ mentio, quin recordatio doloris, deſierat adeo, ut etiam vi-„ vidiorem externum contactum (qui ſub jactabundâ inquie-„ tudine diu eundem ſitum ſervandi, ſubſidiariâ ope, ſæpius„ adhibendus erat,) quem pridiè, licet remiſſo ſpontaneo ſen-„ ſu, tamen adhuc reformidabat, nunc non amplius averſare-„ tur. Tuſſis autem, toto hoc tempore, neque tam perfre-„ quens erat, nec ita ſæpè notabiliter vehemens: ſed ut plu-„ rimum brevis ſolum, & pauca: perpetuo vero, ſine ulla ex-„ ceptione, ita abſolute inanis atque ſicca ut vix unquam„ quidquam, tuſſi potius, è pectore, quam ſcreatu ex infundi-„ bulo, prodiret, quod tamen & ipſum vix obtingebat. Cum„ univerſus dolor non ſolum, ſed ipſa quoque memoria ejus, à„ quarto die deſiiſſet; continuabat quidem adhuc calor acu-„ tior, ſitis, & ſomni impotentia, ad ſeptimum usque, (ubi„ etiam, propè in horam periodi invaſionis, Novilunium in-„ cidebat,) minime tamen exactè pari gradu, uti primis duobus„ aut tribus diebus. Poſt hos autem dies, porrò, per ſucce-„ dentes adhuc plus ſeptem ſeptimanas, erat Calor adeo mo-„ deratus, ſed utique continuus, ut Sereniſſimus Patiens verbo,„ de illo vix unquam quereretur; ſed ſolum arctiorem cooper-„ turam moleſtiùs ferret, & inquietius, ſitum ſæpe mutando,„ eundem decubitum admodum diu toleraret. *Sitis* interim,„ pariter, vix excedebat conſuetam ſub ſanitate menſuram.„ *Tuſſis*, remittebat adeo, ut nunquam, niſi forte aliquanto per„ quadrantem horæ, frequens, aut vehemens perciperetur:„

„longe plurimum autem, admodum raro, brevis, & indeſinen-
„ter ſicca, maneret. *Somnus* etiam redibat, de tempore in
„tempus, longior: quandocunque etiam interruptus, &
„brevium ſigillatim durationum, erat tamen ita veluti profun-
„dus, ut etiam claram collocutionem aſſiſtentium, nihil un-
„quam moraretur: imo potiùs ſub tali, aut prælectionibus
„clarâ voce factis, placidiſſimè obreperet, & aliquandiu con-
„tinuaret. *Dolor*, conſtantiſſime ita aberat, ut toto corpo-
„re, ne veſtigium unquam repullularet. Imò, quod, Ut ex
„poſt facto, admirationem meretur, *decubitus in utrumque*
„*latus*, erat indifferens; *Reſpiratio*, licet conſtanter aliquan-
„to brevior, tamen & alias indeſinenter liberrima, & nullum
„unquam, vel minimum, ſignum aut indicium, ullius, in pe-
„ctore obſtaculi, ſubminiſtrans.

XXXIX.

Ea vero, quæ jugiter perſiſtebant, erant, Primò,
„caloris perpetuus gradus, ſenſibiliter major, quam ſ. n.
„& conſtans propemodum etiam; Ejus aliqua, ſatis ſen-
„ſibilis, exacerbatio, verſus, aut poſt, occaſum ſolis: quæ
„per duas, tres, quatuor horas, ſentiebatur. Secundò,
„inquietudo jactabunda, & anxia quædam dyſphoria, diu eun-
„dem decubitum ſervandi: Quæ nempe res, longè plurimum
„etiam fovebat, imò inducebat, interrumpendo perpetuò,
„longioris ſomni continuitatem. Tertiò, appetitus conſtan-
„tiſſima dejectio. Tandem, quartò, non ſolum virium cor-
„poris enervatio, ſed maxime quoque habitus corporis, talis
„extenuatio, quæ tandem ſummum gradum attingebat, ut ma-
jor fieri vix poſſet.

XL.

De exacerbatione verò illâ quotidianâ caloris, per certas
„horas, erat illud omninò notatu maximè dignum, quod per
„primos dies, imò ſeptimanas adhuc priores, ſecum proferret,
„*peculiarem* quemdam eximium *ruborem*, ita ſingularem, ut
„à medio genarum, facto parvo, valde tamen luculento, initio,
„magis magisque, brevibus ſucceſſibus dilataretur, donec à

num-

nummuli, ad Thaleri latioris, amplitudinem, in pallidiore,„ reliquâ facie, extenderetur: Deinde verò, remiſſo admodum„ gradu, & magis magiſque evanido, per totam faciem diſtri-” butus, veluti diſpareret. Circà hunc ruborem, notandæ” veniunt ulteriores circumſtantiæ ſequentes. Cum hujus” ruboris apparitio, tanquam ſolitum imprimis ſymptoma” pectoralium affectuum, phthiſicorum abſceſſuum, Medici,” accuratius hoc phænomenon animadvertentis men-” tem afficeret, ejusque rei mentio fieret ergà aſſiſten-” tes Sereniſſimo Patienti miniſtros, Matrona, quæ huic à„ cunis miniſtrare ſolita erat, affirmavit, eſſe hunc talem ru-„ borem, phœnomenon, quod toties evenerit â primâ ætate,„ quoties ad decubitum usque ægrotaſſet. Præterea confir-” mabant, qui præcipuam Serenisſimi Principis curam habe-” bant, quod etiam quælibet invaſiones ſenſibiliorum, ad de-” cubitum usque, aut proximè, morborum, quoties evenis-” ſent, ita certò à faciei inſolito rubore initium ſumere con-” ſveverint, ut, quoties ruborem talem inſignem conſpicien-” dum obtulerit, toties, tanquam ſigno certo, impenden-” tem ægritudinem aliquam, quæ ad decumbendum ade-„ gerit, (zu einer lagerhafften Kranckheit/) his initiis inſi-„ ſtentem, ſecutam, atque inde etiam ſecuturam, ſciverint, &„ commeminerint.

XLI.

Cum autem hoc ſchemate decurriſſet, per octò propemodum ſeptimanas, hic decubitus, ad ſummam usque extenuationem corporis, & omnem vitæ ſpem evaneſcentem; dimidia hora antè tranquilliſſimam ultimam expirationem, intervenit adhuc ſcriptum judicium, aſſerens, quod SE-„ RENISSIMI PATIENTIS affectus, ſcriptoris judicio, *non*„ *ſit Febris hectica*: ſed *atrophia*, pendens ab obſtructione” *glandularum meſaraicarum*. Aſſertio non proferebat ſub” aliquâ conditione: nempe fortè, quantum fando inaudive-” rit, aut e relatione hiſtoriæ morbi alicunde accepta, collige-” re liceret: ſed addita potius erat, abſolutè pronuntiandi ra-”

 tio

„tio, quod Scriptor, totam indolem SERENISS. PATIEN-
„TIS optimè cognitam haberet. Cum autem uti dictum, mediâ poſtea horâ, beatè exſpiraret patiens Sereniſſimus, & poſtera die ante meridiem, inſpectio & ſcrutinium cadaveris inſtitueretur, reperta ea ſunt, quæ ſequuntur.

XLII.

„ In abdomine, adeò nulla, & ante omnia omnium glan-
„dularum & partium meſaricarum vel minima labes, ut, in mo-
„mento, evaneſcerent omnes præfigurationes, ex ejusmodi
„præjudicio fortè pullulantes. In ipſo tamen ſiniſtro hypo-
„chondrio, in proprio loco atque ſede doloris illius, qui ulti-
„mi decubitus illius initia fecerat, inveniebatur Lien, licet
„ſolito aliquantò auctior appareret, reliquis tamen ſenſibilibus
„conditionibus nihil usquam præter naturam affectus: Inte-
„rim tamen tam diaphragmati, quam peritonæo proximo
„valde firmiter per membranaceas fibras concretus. Cum
„autem, propter hanc ipſam conſtitutionem, ſolis digitis ap-
„prehenſus, ad lenem avulſionem tentaretur; loco leviter
„membranoſæ hujus texturæ colligantis, fatiſcebat mox ipſum
„*diaphragma*, & prorumpebat portio ſpiſſi vireſcentis puris.
„Aperiebatur itaque potiùs hoc *pectoris* latus; E quo verò ſta-
„tim ſcaturiebat pus, utpote quo totum impletum erat: Craſſo
„maximam partem, & ita ſpiſſo, ut de cochleari, quo exhauri-
„ebatur, nihil diffflueret, ſed mediocris pultis modo, bene con-
„vexam plenitudinem formaret. Evacuabatur itaquè tota
„cauitas, nullo alius cujusquam contenti veſtigio; niſi, quod,
„ad cartilagines ſupremarum coſtarum, fruſtulum penitùs
„exaridi, adeoque indurati, pulmonis adhæreſceret, calami an-
„ſerini craſſitie, latitudine verò atque longitudine, ſesquipol-
„licis.

XLIII.

„ Poſtquam autem, maximè ſpiſſum circà ſuperficiem ca-
„vitatis, pus, exterſum, & deniquè elutriatum, eſſet, appare-
„bat conſtitutio, certè multis reſpectibus rara. Vaſa enim,
„quæ aliàs per ſubſtantiam pulmonis diſtribui ſolent, arterioſa,
„& venoſa, majora nempè, (& hic quidem maximè talia, ut-

pote

pote etiam) præter omnem proportionem naturalem, tam,„
longitudine, quam amplitudine aucta, mox, à ſiniſtro cordis„
ventriculo, juxta ſpinam dorſi, per totam concavitatem pe-„
ctoris in hoc latus, i. e. à capitibus coſtarum usque ad media-„
ſtinum, per illarum arcuatum fornicem, cui innumeris locis„
firmiter accreverant, protendebantur atque diffundeban-„
tur; & ſubtexebant adeo univerſam hanc ſuperficiem, quaſi„
reticulari diſtributione numeroſiſſimis ramificationibus,„
ſibi mutuò incumbentibus. Purulentæ verò antedictæ illius„
materiæ, etiam color, parciſſimè hinc inde albicabat, & rara„
veſtigia cruenti ruboris offerebat: Maxima vero pars, è„
livido vireſcens, obſoletam quandam flavedinem referebat.„
Odor, erat olidus & acris; fœtori potius affinis, quàm ſim-„
pliciter accenſendus. Dextrum autem pulmonis corpus,„
nihil exhibebat, à naturali debitâ conſtitutione effatù dignam„
aliquam declinationem deſignans.„

XLIV.

Placuit tria hæc exempla proferre, pro ſpecimine *rariorum* caſuum; Ubi per longiſſimam adſuetudinem, & valde lentam corruptionis ſucceſſionem, Febris etiam ipſa *comes*, ita moderatos & velut inſenſiles, mores & progreſſus ſequitur, ut ſub illâ placidâ, & veluti larvatâ, temperantia, imponere poſſit iis, qui parallelismum inter *tarditatem corruptionis*, & *paruitatem febris*, nec è praxi, ſeu experientiâ, nec è benè ponderata ratione, comprehendunt. Alieniùs autem longè, tàm a ratione, quam experientia, eſt, Ubi *hectica* febris, *in exquiſitiſſima* ſui forma, & imprimis, *atypiâ* periodicis nusquam aſſimilanda, per *multas ſeptimanas*, jugiter & æqualiter continuatur; Corpus interim ad ſummam tabem exareſcit, tuſſis ſive *arida*, ſive *humidior*, & diverſi *coloris* materiam attollens, valdè frequens, ſive *parva* de reliquo, ſive *acris*, præſtò eſt &c. Ibi nec *hecticam* talem agnoſcere, neque graviſſimam aliquam *interiorem*, & vix *reparabilem*, *organicam* læſionem ac everſionem, ſubolfacere velle aut poſſe.

XLV.

Meretur autem certè, illa peculiaris conſtitutio, in poſtremo horum, caſu, *vaſorum* ſangviferorum, ad ſiniſtri lateris pulmones pertinentium, talis uti reperta eſt conſtitutio, tam ſecundùm *proprium* ſuum habitum, quàm *duas* vere, è diametro inter ſe *diſſidentes*, opiniones, expendi. *In ſe* ſpectata, offert I) *Magnitudinem*, numeroſiſſimis ramis divaricatorum horum *vaſorum*, quæ naturalem illorum *proportionem*, plurimum ſuperabat; & quidem tam *longitudine*, quàm *amplitudine*. *Longitudine*, à ſiniſtro cordis Ventriculo, juxtà ſpinam dorſi, per totum arcuatum fornicem cavitatis, quem coſtæ efformant & ſuſtentant, usque ad *mediaſtinum*, ſeu medium ſterni, procedendo. Ubi itaque, talis *longitudo*, accedens proportioni *ſemi-circuli* ad *ſemi-diametrum*, aut ad ſummum, proximè totam *diametrum*, (quod tamen in ſtatu atquè ſitu pulmonũ naturali, longè propius *priori*, *quam poſteriori*, *diametri* menſuræ accedit,) longè utiquè ſuperat conſvetam proportionem. *Amplitudine* verò, ſimul ita ad nudum adſpectum excedebant hæc vaſa, *ordinariam* capacitatem, ut, cùm & alias, & quam maximè in tali *ætate*, pulmonalia vaſa utriusque generis, in divaricationibus ſuis, mox eximia decrementa *capacitatis* ſuæ oſtendant; hoc loco, etiam minimæ extremitates, & ad ipſum usque mediaſtinum exporrectæ, æquarent calamum, pennæ alaris majoris, ad minimum, (Schwing-Feder) columbinæ. II) Erant, omnes atque ſingulæ, hæ venæ & arteriæ, minimæ æque atque maximæ, internæ huic ſuperficiei, ita ſingulari induſtriâ, innumeris quidem locis, nusquàm verò jugiter & continuo tractu, *affixæ*, ut equidem longè maximâ parte *ſuſpenſæ* ſolum eſſent, nempe à nexu omni liberæ: minimè verò penitùs undiquaque annexæ. Ex hac conſtitutione, directè quidem ſatis putamus colligi, atque diluceſcere poſſe, quod hæc *affixio* æquè, atque *expanſio*, non potuerit eſſe negotium *brevis* atque *feſtinati* ſucceſsûs; Et minime omnium, ſub *corruptione* citò *invaleſcente* purulen-

lentâ, latifundii pulmonum, tam *ſepoſitionem* talem nanciſci, quàm ita ordinatam diſpoſitionem, ſeu diſtributionem adhuc adſequi, aptum. Dum utique nemo humana ratione utens, in mentem admiſerit, quod ſub temerariè graſſante *colliquatione & eroſione*, non ſolum *tenerrimæ* membranaceæ ſubſtantiæ *veſiculoſæ*; ſed etiam *crasſioris*, *bronchiorum* pulmonalium firmitatis, potiſſima pars *vaſorum*, ex illo tabo atque ſanie, non ſolum ſalvari, ſed etiam ita, ad *extremum ambitum continentis fornicis, evadere* & *diffugere* potuerint: & inſuper, dum reliqua ſtructura, *impetu* aliquo, diſperditur, in media hac ſtrage atque labe, hæc, magna etiam, portio, pari feſtinatione, & certè *impetu* quodam, inſolitæ plane *ſtructuræ* ratione, alio dirigi, diſtribui, & *ſtructuræ* atq; *conſolidationis* quâdam ratione, accreſcere, annecti, affigi, potuerit.

XLVI.

Cum longè, non probabilius ſolùm, ſed veluti evidentius planè ſit, quod *accretio* hujusmodi, tam prima ſua *initia* cœperit, ab illa, veluti à cunis ipſis, conſpicua, inſigni *depresſione* & *arcta* capacitate, hujus *lateris* pectoris: quod ipſum ita pulmones, longè pleniùs, quam oppoſitum ſpatioſius, explendo, primò per *ſuperficiem* multiplices tales *affixiones* ſubiverint; etiam *vaſorum* utique, variis arcuatis plexibus, per ſuperficiem propemodum pulmonis divaricatorum: quales *affixiones*, *lentisſima*, per longum tempus, reliquæ ſubſtantiæ pulmonis abſumtione colliquatoriâ ſecuta, etiam conjugati, & continui, plures, imo numeroſi, horum vaſorum *rami*, ita ſecuti ſint, ut tandem hanc conſtitutionem aſſequerentur, quæ in corpore hoc deniquè inventa eſt. Cui tamen rei (tam *accretioni*, inquam, illi, quam *extenſioni*,) utique, tàm *lentisſimus* ſucceſſus ratione temporis, quàm, creſcentibus annis, etiam in liberiorem capacitatem ſenſim reſtituta rotunditas hujus lateris pectoris, ſociam operam præſtiterunt.

XLVII.

Amplitudo vero tanta omnium, in proportione, horum vaſorum, *longitudini* ipſi ſociata, quid aliud veluti eloquitur,

 niſi,

niſi, quod, uti *longitudo* anguſtæ adhuc cavitati, primò *affixa* & *ſubtexta*, cum incremento totius, de anno in annum aucto, inſenſibilibus augmentis, ſimul *diſtenta* atque *elongata* ſit: Ita etiam *amplitudo* æquè cavitatis, atque maxime conſpicua *firmitudo*, (membranaceæ texturæ omnium horum vaſorum, à maximis, ad ipſa usque minima,) effectus certe ſit, non ſolum *citatis* ſucceſſibus, ſed quàm maxime, inter infarctum copioſiſſime redundantis *ſaniei*, nulla fide tribuendus aut vindicandus. Adeò, ut utrumque hoc productum, alii energiæ, niſi *diuturnis*, & ſub *lenisſimâ* atque *languidisſimâ* corruptionis continuatione, ſatis tranquillis atque placidis ſucceſſibus, *ſtructorio-refectivis*, ad rationis conſonam veriſimilitudinem, nunquam vindicari poſſit. Tali verò, quem declaravimus, proceſſui, exquiſitè quadret.

XLVIII.

Differentium autem illarum, quarum mentionem injecimus, Opinionum, de hac conſtitutione, altera, adeò permota eſt à veriſimilitudine *diutisſimæ*, & *unà cum corpore adultæ*, hujus *expanſionis* in *longum* & *latum*, & ita *ordinatæ* ſatis, *diſtributionis*, atque *affixionis* ſeu *accretionis*, ut etiam ſatis veriſimile reputaret, quod in hoc latere cavitatis thoracis, *nunquàm ullus pulmo*, *formatus aut natus* præſtò fuerit. Quanquam autem hæc ſpeculatio, à moderatiſſimo, & notisſimæ prudentiæ, animo profluxit; tamen, cum eidem ignota ſit experientia, imprimis ex hiſtoria Praxeos comprehendendæ vigilantiæ atque efficaciæ naturæ ſoſpitatricis; & lentis amiſſionibus, quoad fieri poteſt, *ſucceſſiva* præſidia, aut ſanè *ſubſidià*, *ſubſtituentis*, quæ *reſtituere* non plane licet: Non æquè proinde ſubſiſtere illa poteſt, cum *duobus* illis manifeſtis phœnomenis: *Primò*, quod utique *fruſtulum* aliquod *veri pulmonis*, licet ſiccum & planè denſatum, (& quidem, quod, pro antè dictorum illuſtratione, notari debet, *ſuperficiei internæ pectoris* firmiter *concretum*,) præſtò adhuc fuerit. *Secundò*, quod utique *pus* illud, cujus tanta inventa eſt quantitas, necunde aliàs prognaſci potuiſſet, niſi à *ſucceſſivâ con-*

ſum-

ſumtione pulmonis: Cum nullum usquam aliud veſtigium alicujus, nedum tanti, *abſceſſus*, comparuerit: nec etiam ulla ſubſtantia, tali affectui aut effectui opportuna, nedum par, in tota hac cavitate hoſpitari ſoleat. Nedum, quod ad tantæ quantitatis abſceſſionem, in quacunque alia parte aut loco hujus cavitatis citatis ſucceſſibus ſuſcitandam, omnia nimio vehementiora præcedere & concurrere debuiſſent, quam in toto hoc caſu, quidquam comparuit.

XLIX.

Altera verò ſpeculatio, tota huic oppoſita, in illam credulitatem inducere tentavit, ac ſi hæc, *ſani* nempè eo usquè, pulmonis, *corruptio*, ortum ſuum duxiſſet, à *reliquiis*, ex ipſa *variolarum* infectione, reſiduis relictis. Quanquam autem ratio humana, nunquam hoc conciliaverit, cum veris circumſtantiis, jam antè latius deductis, 1) Toto anno poſt variolas nullius usquam perceptæ, effatu vel minimum dignæ, alterationis, nedum labis, circà reſpirationem, tuſſim, aut inſolitam quamcunque aliquam ſenſationem in pectore; imo 2) abſolute notorium ſit, quod & horum intuitu, & tota reliqua ſanitatis ſyntaxi, nunquam majora omnia indicia æquè, atque confectaria, (ſenſibilioris licet inde à primis cunis,) tamen de reliquo probatæ ſanitatis, ante variolas exhibuerit, quàm, continuo hoc anno, poſt easdem: 3) *Invaſio graviſſimè morbida*, Sereniſſ. Principi, circà hunc articulum exquiſitiorem *brumalem, jam per aliquot annos*, tanquam *ſtabili atque ordinariâ reverſione*, evenire & oboriri adſueverit: 4) *Dolor* etiam, à quo ultimus hic decubitus exordium ſuum ſumpſit, perceptus ſit, non in *pectore*; ſed, etiam cum *latitudine*, totius manus indicio toties deſignatâ, *infrà ultimam coſtam notham*, & ita in regione *ilium*, ut magis *poſticam*, thoracis, quam *anticam*, *pectoris*, partem reſpectaret. 5) Nec usquam *lancinatorius*, aut ad pulſus rythmum, *punctorius*, fuerit: Neque, 6) duodecim horarum ſpatium, *duratione* ſuâ exceſſerit: 7) Nec etiam *Tuſſis*, quamquam jam à quatuor circiter ſeptimanis perciperetur, ſub hac tamen ipſa etiam exacerbatione, ul-

lum memoratu dignum, *frequentiæ, magnitudinis, conſtantis diuturnitatis*, incrementum ſumpſerit: 8) quin etiam, tàm *dolor* ille ipſe, quàm quantuscunque illum adhuc comitans gradus *tusſis*, quin imo ipſe gradus *caloris* febrilis, intra *quartum* diem, (eo ordine uti hic recenſentur,) gradum ſui, ita partim *amitterent* planè, partim *remitterent*, & in magnum & conſtantem lentorem, ſeu remiſſam velut inertiam ſtatim tranſirent. 9) Ullius etiam unius *evacuationis*, vel minimæ miculæ, cujuscunque *corruptelæ*, aut ſolum à colore ſuſpectæ materiæ, quin vel leviſſimæ *humiditatis*, (ut ex pulmonibus, quantumcunque integritatis adhuc ſervantibus,) ab ipſo initio, ad finem totius hujus decubitus, (quod planiſſima locutione ſine ulla umbra Rhetorica, commemoramus,) ita nunquam, ut ne ſemel quidem, prodierit. 10) Poſt hæc omnia verò, nulla humana ratio, unquam agnoſcere potuerit, quod reperta in hoc corpore *diſtributio* illa, *elongatio*, *extenſio*, firmæ atque *denſæ texturæ*, ad modo dictas res *proportionatæ conſtructio*, ſive intra tam *brevis temporis* decurſum, in effectum deduci potuerit; Vel etiam, 11) inter *præcipites ſucceſſus* confuſæ *corruptionis*, tàm ſubſtantiæ pulmonum, quam innumerarum, minorum atque minimarum, ramificationum. 12) Et, quomodo tandem, nec minor ab initio, nec ullo modo major, in decurſu, comparuerit impeditio *reſpirationis*: 13) quod in progreſſu, usque ad univerſam amiſſionem, medietatis totius pulmonis, impoſſibile certe eſſet factu. Hæc talia, inquam, in contrarium documenta, licet quilibet facile ipſe collegerit & agnoverit, tamen fruſtra erit, ſi illis, & ullam ſpeciem veritatis habentibus quibuscunque documentis, adverſam illam opinionem in viam reducere, ſperaret. Cum fundamentum hujusmodi ſuggeſtionis, ab ea immutabili indole proficiſci, notiſſimum ſit mihi, Præſidi, de qua Salvator ait, Verbum omnis veritatis, (Joh. VIII, 44.) quod ille fons talium ſuggeſtionum, talia agendo atque loquendo, loquatur è ſuis propriis (ἐκ τῶν ἰδίων) quæ judicio atque vindiciis unicæ æternæ veritatis committenda, memoriter ſcio, & hoc meritò etiam ago,

Qui

Qui tamen per imperitiam, & minorem habitum, ſatis promptè atque circumſpectè colligendi atque concludendi facultate non pollent, ii ſibi commendatiſſimum habebunt, in rebus in-„ ſignis momenti, ab omni, tanquam deciſivâ, ſententia profe-„ rendâ, abſtinere: priusquàm & funditus cognitas habeant,„ omnes circumſtantias, & ſolertiſſime illas perpenderint: Ne„ erubeſcere deinde neceſſe habeant, quando meliora edocti, pro toto ſuo decreto, illud unum declarare adactos ſe viderint, *non ſciveram, non putaram.* Aſt tantò magis: *Injuſtum quicunque ſciens facit, is malus eſt Vir.*

L.

Poteſt autem ex his conſiderationibus, citrà inſignem difficultatem, facilè concludi, cuinam ulteriori, Medico, uſui, inſervire poſſit vera *cognitio ſodalitatis* hujusmodi, *hecticæ* febris, cum *abſcesſibus viſcerum.* Quamvis autem extra omne dubium collocari mereatur, quod longè maximæ æque atque præcipuæ partes, quantum ad *Medicam* conſiderationem referre hinc licet, ſint *Prognoſeos:* Ne tamen etiam illud temerè colligatur, quaſi *planè nihil* ultrà *prognoſin*, *artis* poteſtati hic reſtet, erit etiam de illo aliquantò ſolertius diſpiciendum. Quamquam etiam ſub ipſa prognoſi, aliqua ejusdem rei mentio, neque poſſit prætermitti, neque debeat. *Prognoſis* itaque, primò veluti *generaliter*, verſatur in eo, vt omni modo intelligatur, Febres *hecticæ*, ut in ſe ſpectatæ, nullam eſſe perpetuam propriam *prognoſin*; ſed inniti univerſam, *internæ* illius *ulceroſæ* labis conſtitutioni: prout illa, ratione *ſubjecti*, quod invaſit, & *progreſſuum* ferociorum, quos facit, aut jam fecit, magis aut minùs recedit, à ſpe felicis *curationis*, aut in integrum *reſtitutionis*: aut vehementioribus ſucceſſibus & acriore graſſatione, *inflammatorio-cauſtica*, etiam febrilis illius *ſubſidiariæ* commotionis *majoris*, neceſſitatem facit. Nunquam autem hujus febrilis *concurſus*, veram atque ſecuram *omisſionem*, aut *ceſſationem*, permittit; quin ſimplicioris progreſſus *corruptionis* illius, juſtus ſubſit metus, imo potius certus ſucceſſus & eventus.

LI.

Cum enim omnia inſignia, tam abdominis quam pectoris, *viſcera*, plurimorum ſubtilium vaſorum *ſangviferorum* interſperſione, revera veluti abundent; non poteſt propterea tali texturæ, ita ſimpliciter *ſeroſa* ulceratio evenire, quin, per hanc multiplicem interceſſionem *ſangviferarum* viarum tenerrimarum, ſemper gravioris corruptionis *cruentæ* ſeu *ſangvineæ*, (*putredinoſo-colliquativæ*, & *acriter fermenteſcentis*,) inevitabile gliſcat periculum: Aliter, niſi perpetuô leviter *inflammatorio, abſterſorio* motu humorum progreſſivo, minime temperandum. Dilucefcit hinc affatim quod, inſeparabilis eſſe debeat motus hujus, i.e. *febrilis, hectici*, concurſus & uſus, ad infringenda *libera* illa, hujusmodi graſſationum incrementa. Cujus nempe univerſæ rei, verus intellectus, abſolutè fluere debet, è verâ *Mechanico-organicâ* neceſſitate, *inflammatorii* motus ſangvinis, ad *ſtaſes*, & impendentes, aut gliſcentes, *corruptiones* ſangvineas. Quæ videlicet tales ſtaſes, omiſſo, ſuppreſſo, aut graviter impedito, augmento illo motus *progresſivi*, circumflui ſangvinis, nihil certiùs aſſeqvuntur, quàm *citatisſimum*, violentiſſimum, & nequaquam amplius, citrà graviſſima detrimenta, ullatenùs *ſiſtendum*, corruptionis effectum: Qui tamen *Inflammatorii* appulſus atque tranſitus auctioris organicâ quidem *directione*, ſed mechanica tamen *aptitudine*, atque efficaciæ proportione, ratione liberi ſui progreſsûs impeditur, & cohibetur intrà certos limites. Intuitu autem ejus portionis, quæ ampliùs ab *omni* corruptione defendi atque vindicari non valet, ſaltem, *libera* illa hujusmodi graſſationis, *corruptiva* etiam tota, indoles, verè miranda quadam ratione, ita *refrænetur*, ut etiam ipſa materia, huic, veluti è manibus, de momento in momentum eripiatur atque ſubtrahatur: Præcipuè vero illa ipſa, quæ tam citò *ſubeundæ*, quam *diffundendæ*, corruptioni illi potentiſſimæ, expoſita ac idonea erat. Quam rem iterum atque iterum monemus, abſoluta utique neceſſitate rectiſſimè perſpectam & intellectam eſſe debere, niſi omnis ſpes, etiam omnium aliorum *Febri-*

brilium motuum, eorumque non ſolum *utilitatis mechanicæ*, ſed & *neceſsitatis organicæ*, penitus abjici ac omitti debeat. Quod quidem etiam, pro rectè intelligendo maximo pondere, quod ad *Prognoſin hecticæ* febris hujusmodi, rectè formandam, adjicit *neceſsitas* talis, graſſantia talia detrimenta, hac ſola ratione, interpellandi, benè intelligendum atque referendum venit.

LII.

Sicut autem *Prognoſis* veluti generalior, circà *hecticam* febrem, ita nihil boni ſpondet, & promittit; ita eſt reverà adhuc aliquid dicendum atque monendum, de eo, quid etiam *poſitivi* mali portendere poſſit, inconſulta atque contraria *hecticæ Febris adminiſtratio*. Ubi, cum præcedente paragrapho locuti fuerimus de culpâ *alienâ*, nempè *abſceſſus*, quem Febris non ſolum *comitari*, ſed indolem etiam ejus *ſequi*, neceſſe habeat: præſente loco ſermo nobis erit, de iis eventibus, qui vel occaſione Febris, in alterum illum *conjunctum* affectum redundare, eumquè deteriorem reddere poſſunt: Vel etiam ab ipsâ Febre perperam ad debitam ſuam proportionem, *adminiſtratâ*, pariter in iſtum redundant, & incrementis ejus, imò prædominio, portam veluti aperiunt. Debent autem, ambæ hæ *depravationes* ipſius Febris, in abſceſſum internum, ejusque deteriorem progreſſum demum incitandum, redundantes, ortum ſuum, malæ atque *turbulentæ* executioni, ſeu adminiſtrationi atque *gubernationi*, ipſius *motus Febrilis*. Quæ, unde poſſit & ſanè optandum, ut non admodum ſoleat, originem ſuam trahere, mox ſub *Therapevticis* conſiderationibus patebit.

LIII.

Equidem THERAPIAM hecticæ Febris, ut *interna* illa vitia *comitantis*, *directam*, *poſitivam*, & *abſolutam* nullam eſſe, manifeſtâ conſequentiâ colligi atque concludi poteſt ex eo, quod, cum Febris hæc, quantò quidem melior, & æqualiùs, ſequatur ipſum illum internum affectum, aut potius defectum, nulla ibi alia medicatio locum invenire poſſit, niſi ſola illa quæ

ſun-

fundamentali tali defectui ſatisfacere poſſe videtur. Utpote cujus demum in melius converſionem, etiam ſpontè ſequetur proportione ſuâ optabiliore, ipſa tota Febris. Interim tamen, eatenùs habet adhuc uſum, etiam ipſa hujusmodi conſideratio Febris, ad *poſitivas* aliquas ſuppetias eidem ferendas, ut propriis illis, *bonis*, imo *neceſſariis* febris deſtinationibus atque uſibus, arte, *quoad posſibile*, ſuccuratur.

LIV.

Non temerè autem, aut per ſimplicem aliquam rhetoricam emphaſin, dico, *quoad ejus fieri poteſt*, ſeu poſſibile eſt factu. Dum utique maximo hic cavendum eſt opere, ne fatale illud mortalitatis offendicum, aliquid hic turbarum objiciat, nempè *bona intentio*, *&* *mala inventio*. Cum enim notoria planè ſit fluctuatio illa, atque diſſenſio, circa *veram intimam indolem* Febrium: Hanc verò non poſſit non æquis greſſibus comitari & undique ſectari, par etiam incertitudo, & ſolis opinionibus innitens, inſtitutio atque inſtructio, qualiscunque tandem *methodi* pro tractatione *Therapevtica* Febrium: Cavendum certè hinc eſt, ſummo jure, & quantalibet animi ſolertia, ne, dum è minùs firma *opinione*, conſilium ad ſublevandam Febrem formatur, loco ſperati boni ſucceſſus, nihil niſi heteroclitus, & alienus, provocetur. Cum autem cum ipſa arte Medica omnino ita comparatũ ſit, imprimis autem juxta hodiernas audaciores *methodias* atque *pharmacias*, ut raro negotium in eo ſubſiſtat & acquieſcat, ut conatus præſtandi auxilii, per *inertiam* fortè remediorum, ſucceſſu ſolum careat, adeoque ſupervacuus ſit, & irritus: ſed nimio familiarius, nimia certe *activitate*, aliena à propoſito, aut meritò proponendo, ſcopo; actuali interim energiâ, loco ſperati & promiſſi uſus, etiam verum contrarium & oppoſitum, actualia inquam *damna*, provocet atque introducat: Eſt profectò propterea omninò opus, ut hujusmodi aberrationum juſtiſſima cautio atque evitatio cordi ſit; ne, dum febri præpoſtera & aliena aliqua ratione, inſignem opem ferre præ nobis ferimus, illam *obturbare*, & à juſtioribus ſuis deſtinationibus dejicere atque in transverſum agere, deprehendamur.

LV.

Sicut autem, ſub tali vera prorſus conſtitutione Febris *hecticæ*, ut originaliter quaſi dependente à profundiore tali *viſcerum* læſione, *directæ* atque *poſitivæ* illius ipſius medicationi nullus patet locus; ita contrà, poſtulat utique, imò exigit plane, *privativam* talem, atque prohibitoriam contemplationem & æſtimationem: quæ ſufficienter inſtruat animum neceſſaria circumſpectione atque cautelâ, ne præpoſtero ſtudio ac opinione, imò auſibus male ordinatis & inani opinioni ſuperſtructis, partim *placidus* motus, & *ordinatus* atque *proportionatus* ſucceſſus hujus febris, in transverſum agatur, *turbetur*, nimio plus *incitetur*, (nam de nimia cohibitione, minus propemodum, ad hunc diem, eſt periculi, poſtquam nondum ſatis ſe probavit, certe adhuc inaudita alias arti, efficacia *ſalini anodyni mineralis*, ad *ſimpliciter inhibendam*, *etiam acutam*, *febrilem commotionem*,) ſimulque per *acriora* remedia, aut *regimina* magis coacta, *expanſio*, imo totus *inteſtinus* motus ſanguinis, exaſperetur: *ſtimulis*, ſive *calidæ*, ſive ſalinæ *acris*, efficaciæ, affectus partis ipſius *ulceroſus*, *exacerbetur* & irritetur: alienæ, & intempeſtivæ, excretiones *colliquatoriæ*, provocentur; *Vires*, non ſolum actualibus *inordinatis* commotionibus, ſed, quod nimio plus eſt, *faſtidioſis* illis, & quaſi omnem bonam ſpem abjicientibus, per res peſſime cedentes, *languoribus*, & omnis adhuc exactioris *ordinis*, & *proportionis* aſſiduæ, deſertionibus, in ſolidum peſſumdentur. Ubi profecto valet propemodum paroemia illa, *Vox populi, Vox Dei*; quando perpetua experientia edocta plebs, notat, *nunquam pejus eſſe tabidis*, quàm quando in *Medicorum* curam atque ordinationes ſeſe tradere, & medicamentis *diligenter* uti, incipiunt. Qua de re etiam jam dictum in Diſſ. *de Phthiſi*.

LVI.

Licet autem ita juſtiſſimâ opus ſit cautione, ne imaginariâ quacunque, *hecticam* febrem, ut in ſe, curandi imo percurandi, ſpe & opinione, ejusmodi tentaminibus, pro exequendo tali ſcopo indulgeatur, quibus longè facilius *damna* certa, quam ullum ſperatum commodum & emolumentum, impe-

trentur: Supereſt tamen etiam aliqualis locus, veris, juſtis ac utilibus intentionibus, ipſius Febris etiam *hecticæ*, ſubveniendi: modo antiquiſſimum habeatur, ut omninò potiùs *ſubſidiariis* adjumentis, tota intentio addiſcatur, quam ut quibuscunquè *propriis* auſibus, *leges* quasdam hic præſcribere, &, pro lubitu, *novas intentiones* formare, & in effectum deducere velle, liberum cenſeatur. Conſiſtet autem ita omnis *tolerabilior* concurſus Medicæ curæ, iterum dico, quantum magis *directum* reſpectum ad ipſam febrem attinet, unicè in eo, ut illæ *intentiones*, quibus totus *motus* Febrilis, propriè *invigilare* atque *præeſſe* intelligi poteſt, non ſolum ab *impedimentis* vindicentur; ſed etiam, (modo citrà temerarias ſpes, & ambiguas inventiones,) quoquo placido atque moderatò modo, potiùs promoveantur atque juventur.

LVII.

Ubi, cum præcipuus ultimus ſcopus, aſſiduæ illius *hecticæ* commotionis *febrilis*, verſetur, circà perpetuam *abſterſoriam* diſcusſionem, circà partem talem *internam* ejusque læſionem jam conceptam, aut in proximâ omnino potentia conſtitutam; Deinde vero etiam, circà evacuationem *apoſpaſmatum* talium *ulceroſorum*; ſed *placidam* tamen illam, & *moderatiſſimum*, & *tranquillè ſucceſſivam*: Poterit hinc ſatis facile colligi, quod etiam univerſa benè fundata *intentio* Medici, ad has easdem ſpontaneas intentiones unicè *conſpirare* & *concurrere* debeat. Antè omnia verò, unicè ſemper eſſe debet antè mentis oculos, quod, ut ex indole reliqui affectus, ita etiam *febris*, iſti neceſſariò *proportioni exæquandæ*, nihil usquam *feſtinatum* aut *importunum*, locum inveniat; ſed omnia potiùs ad *moderationem*, & *aſſiduorum* ſucceſſuum, ſolum *liberos progreſſus*: & *impedimentorum* remotionem potiùs, quàm ullam *ſimul & ſemel* peragendam excuſſionem, inſtrui atque dirigi mereantur. Deinde verò, cum lenis eliminatio, *ulceroſorum* collutriatorum inquinamentorum, è maſsâ ſanguinis, perpetrari præcipue ſoleat, per *Urinarias* vias; Remedia verò, quæ certò *placidiſſime* huic eidem ſcopo velificantur, verum etiam uſum præſtent, ipſi *acredini*, in ul.eribus pullulanti:

lanti: imò etiam qualeſcunque *ardores*, à reliqua *acrimonia*, jam cum maſſa humorum ad partes ſolidas pertingente, hanc contemperando, *mitigare* atque intercipere poſſint, ſunt proinde illa imprimis hic in uſum vocanda.

LVIII.

Non loquimur autem hinc, ſub hoc titulo, de importuno *abuſu*, & nimiâ ingeſtione, *terreorum* abſorbentium; nedum de inani ſelectu ineptiſſimè *præparatorum*, ut nominatim C. C. *philoſophicè calcinati*: *Lactis Lunæ*, *Axungiæ Solis &c.* etiam ridiculis nominibus. Multò minùs autem, de *potentibus* illis abſorbentibus *ſalinis*; tam *fixis*, quàm *volatilibus*: aut, ſub opinione *contemperationis*, novam texturam adhuc *acriter ſalinam*, atque *ſtimulantem*, poſſidentibus: Minimè omnium autem, de infauſto illo errore, *Martialia* remedia, (certiſſimo *adſtringendi* effectu, præ omnibus aliis, imò vel ſub aliquibus, effectibus, conſpicua,) abſorbendi ſcopis commendandi. Qua ratione *internis ulceroſis* atque *ulceratis* affectibus, eorumque exoptatis *ventilationibus* & *abſterſionibus*, ita manifeſta detrimenta afferunt, ut vel inde prognatum ſit, (non ſcio, nec intereſt, cujus primi Auctoris, interim etiam in turba Practicorum reſonans,) Monitum quaſi axiomaticum: *Martem inimicum eſſe pectori*, (nempe quomodocunque, jam affecto.) Multò minus autem ſermo nobis eſt, de multis paribus artificiis quæ etiam *conjunctis* illis affectibus, temerè deſtinantur; nempè jam *traumaticis*, *ulcerationi* dicatis; ſed *adſtrictione*, *mundificationem* & *exonerationem* opprimentibus: *Balſamicis calidis*, nulla facilè credendâ *ſalutari*, quantitate, ad partem certo affectam perventuris, maſſam autem ſanguinis certiſſimè *exagitaturis*, & *reſtagnationi inflammatoriæ* certiorem fomitem ita ſuppeditaturis: De *Expectorantibus*, ſaburram humorum directè ad pectus *inclinando*, hoc ipſo *ſtaſibus* æquè, atquè corruptionis incrementis, materiam ſubminiſtrantibus, & quoquo modo depravando potiùs, quam corrigendo ejuſmodi affectui, paribus. Nedum de perditis illis, & profectò ſeveriore cenſurâ dignis, non ſolum omni veroſimili rationi, ſed etiam conſtantiſſimæ atque luculentiſſi-

mæ, experientiæ adverſis, *anti-hecticis* & *anti-phthiſicis*: non ſolùm nihil utilitatis, ſed certiſſima damna, veræ & evidenti, tàm *hecticæ* quàm *phthiſi*, objicientibus: aut aliis ſimilibus quisquiliis, *ſpecificæ* cujuscunque energiæ, adverſus *tanta damna*, mendacem pollicitationem jactantibus, &c.

LIX.

Sed laudamus, cum omni moderatione, *pauca* utique, & neque *ſpecioſo* apparatu, neque affectato faſtu, fucata: Interim, dextro uſu, & in ſuo ordine ſeu debitâ ſubordinatione, illis uſibus paria, quos prudens atque peritus Medicus, in tali rerum conſtitutione, usquam ſperare aut exſpectare valeat. Licet & indolis morborum, & practicæ experientiæ, & veritatis pharmaceuticæ ignaris, vix mentione digna videantur. Sunt autem talia, 1.) *Abſorbentia* ſimpliciſſima, ex *oſtraceorum* imprimis cenſu, *Lap. 69. Conchæ*, tam *noſtrates*, quam *margaritiferæ*; *Teſtæ ovorum*, tam gallinarum, ac anatum & anſerum, quam *ſtruthio-cameli*: imo etiam *Corallia*, &, ſano uſu, *Oſteocolla*. Pro moderatè *Abſterſoria* intentione, *Rad. Pimpinell. alb. Vincetox*: Pro *conſervativâ* atque *balſamica* ſpe, *Scordium*, in *Eſſ.* & *Succinum*, in pari; formulâ; non tamen æque ſub *exacerbationibus*. Habemus autem rationes experientia firmas, laudandi *ſolutionem oſtraceorum* dictorum cum *aceto*; meliùs cum *Tartaro*: adhuc meliùs, cum *acetoſitate Citri*: propter *abſterſivo-diureticam* efficaciam, cum *temperativa* veriorum Acorum adhuc conjunctâ, & ſimul aliquatenùs *præcipitatoria* acriorum portionum in maſſa ſangvinea, quæ inteſtini calidi motus quaſi *producta* quædam haberi merentur, & ardorem reliqui moderatioris caloris augent. Abſint autem, non tam invidi, quàm imperiti animi, quando *Nitrum* etiam in his neceſſitatibus laudare, non inutilibus ſpeculationibus, ſed conſtantiſſimâ, & certe attentâ experientia, neque ſolius amplius D.D. Præſidis, ſuſcipimus. Non incedimus cothurnis, nedum *grallis* pharmacologicis; ſed ſimplici ſermone laudamus: & quidem *ſobrium* ejus atquè *dextrum* uſum, nempè peritum: Cum *abſorbentibus* dictis juncti, aut iis *ſubordinati*, & *interpoſiti*. Abſint autem larvæ illæ pharmaceuticæ,

ticæ, *præparationes* ludicræ, & *colorationes*, Nitri, imo ad ſcenam comptus, Spiritus Nitri dulcis: nedum portenta illa *Sal aëris*, & *Sal Naturæ*: Mihi certè, Præſidi, non ampliùs ne in Chymia quidem, puero, meritò hoc nomine venientia. Abſint, inquam, à feriâ re, ſeriò vel gerenda, vel relinquenda; Nam luſibus facilè ſua relinquimus. *Emulſionum* autem æquè, atque reliquarum *dilutionum*, pariter prudentem diſpenſationem atque uſum, laudamus in ſuo ordine. Nihil autem habemus, quod, inſignis prærogativæ nomine tribuamus, *Antimonio* vel in genere, vel ſic dicto *diaphoretico* in ſpecie. Quamvis enim optandum omnibus modis eſſet, ut ſecura illa commendatio Sylviana, *Antimonii Diaph*: ad ulcerationes internas, quaſi eo ſolo præſente, de his ſecurum eſſe liceret, deſideratiſſimæ experientiæ ſatis faceret; non potuit tamen huc usque deprehendi, quod hujusmodi medicamenti vera efficacia, ad hunc affectum, ullo alio ſenſu, ad Sylvianæ illius traditionis mentem, laudari mereatur, præterquam ſolo illo, Germanis uſitato modulo, es hilfft ſo gut / als etwas: (iſt aber über Haupt nicht viel.) Placidam autem ejus *Diaphoreticam* utilitatem, tantum abeſt, ut adſpernemur, ut etiam potius adverſus contemptores tueamur. Reliqua verò etiam, ex *Antimonio* paſſim nuntiata oſtenta, ad phasmata Meteorica referimus.

LX.

Ultimo autem meritò loco reſervavimus, duriſſimum, non ſolum hodiernis moribus, ſemper à ſe ipſo diffidentibus, ſed vix etiam antiquæ Scholæ tolerandum, nodum, diuturnæ, & in annos excurrenti hecticæ, *ſangvinis ventilationes opportunas* commendandi. Illi quidem, qui in Febribus *vulnerariis*, ſangvinis miſſionem, ita neceſſariam, declarant, ut illam etiam ſine conſcientiæ labe, negligi non poſſe aſſeverent, faciliores fortè ſe præbituri eſſent, ad conſenſum, quod, ut illic *diſſolvendis*, ita alibi etiam *præoccupandis, inflammatoriis* coacervationibus circà *continui ſolutiones*, *ventilationes* ſangvinis prodeſſe poſſint. Qui vero aliena ſentiunt, à nobis equidem non tentabuntur, cum non modò temporis, ſed etiam chartæ, diſpendium reclamet. Quibus autem *Praxis* cordi

eſt, illi, in *laudato caſu*, uſum hujus ſubſidii, non tam ſperatum, quàm vix ſperatum, experientur. Recordando tamen, quod in præſente noſtra tractatione, non ut de *formulis* tanquam in ſic dicta praxi *ſpeciali*, ſed de *Methodo*, ut in praxi generali, peritè inſtruenda, ſermonem habemus.

LXI.

Uti meritò, bene meritis Praxi medica, & per illam certè de toto genere humano, Viris, laus ſua, in terminis, & intra limites juſtos, firma manet; Ita etiam Sydenhamium, ſi non primus, certè non poſtremus, laudavit jam pridem, publicè, D. D. Præſes: Imprimis autem eo nomine, quod primæ ejus Obſervationes in fronte offerunt, quod *propria obſervatione comperta* atque obſervata, in medium proferat. Quinimò, laudavit etiam commendationem hujus Scriptoris, de laudabili uſu *Equitationis*, aut ad minimum *vecturæ*, in *Phtiſi*; imo reſtrinxit hoc veluti magis ad eam *hecticam*, infrà *diaphragma* radices ſuas habeat. Interim, uti ſobrium hujus conſilii uſum; etiam è ſanæ rationis dictamine, æquè, ac Illuſtribus exemplis, magni facere, minime deſiſtamus: tamen optamus potius, quam ſperare adhuc audemus, ut maximè confidens illa laudatio, laudati auctoris, perpetuæ Experientiæ ſuffragio celebretur, quando hoc remedium, tantâ certitudine *Phtiſin* curare atque tollere aſſeverat, quantâ *Cortex Peruvianus febrem tertianam*. Interim, licet hucusque tantæ potius fiduciæ, quam ſimpliciter fidei, Autoris, nondum planè ſatisfacere ſentiatur hoc auxilium; tamen, cum etiam minimè *nullum* planè uſum habeat, meretur ſane etiam illius commendatio, ad illud elogium revocari, quod omnibus in tam impeditâ re, conſiliis & auxiliis commune eſt, quod cum debita *prudentiâ*, *peritiâ*, atque *ſubordinatione*, uſurpatum, minime poſtremam, nedum nullam laudem mereri poſſit.

LXII.

Atque ita quidem febri *hecticæ*, ut *læſionibus* hujusmodi *internis* innixæ, directa atque plena medicatio *curativâ*, equidem præſtari, minimè poteſt; Eſt interim *utilis*, *moderatio* atque *ſublevatio*: præcipua verò atque ſolida medicatio,

tio, niſi in *læſionum* talium internarum *percuratione*, nusquam ſperanda aut invenienda. Hoc ipſo verò cavendum omninò maximoperè, ne etiam *alienis*, imò *contrariis* auſibus, omnia in præcipitium adducantur. Cui rei, quantum ſatis eſſe poſſit, caviſſe ſperamus.

DEUS T. O. M. adſpiret clementiſſime his etiam noſtris conſiderationibus, ut & nobis & aliis verum Practicum uſum perenniter præbeant. Cujus infinitæ bonitati, pro præſtitâ hucusque benedictione, æternam gratitudinem nuncupamus.

S. D. G.

VIRO

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

CHRISTOPHORO von der Plott/

Amico à multis annis præcipuo, Summos in Arte Medica honores adepto, gratulatur, & fauſtum in patriam reditum adprecatur

IO. HENR. Schultze.

IMpiger extremos Batauus decurrit ad Indos,
Ut diues redeat claſſis onuſta domum.
Hinc aurum gemmasque refert: hinc ſtamina ſerum
Splendida deportat: hinc & aroma petit.
Oppoſitum ratibus pelagum ſecat acer Iberus:
Argenti reuehit pulcra metalla ſuis.
Sic iter immenſum, ſic millia tædia penſat
Diues opum reditus, maxima quæque ferens.
Sed TVA, quæ patriæ mentis bona naue reportas
Hiſpanas vincunt exſuperantque rates.
Has quatit immenſum tempeſtas; fluctus & aër
Nil certe in mentem iuris iniquus habet.

Atte-

Atterit allatas merces inimica rubigo;
Hæ ſed opes hoſtem tempora nulla timent.
Vt TVA felici contingat, ſic precor, aura
Portum, quem repetit, nauis, amice. VALE.

Q Voquo ſe vertunt oculi, quo lumina tendunt,
Floribus innumeris quicquid ubique nitet.
Ecce hic purpureis collucent floribus horti;
Hic flores croceos monſtrat amœnus ager;
Immo cuncta virent: Iam formoſiſſimus annus,
Gratia dum nitidi veris adulta viget.
Et campus dulcem late diſpergit odorem,
Nec vicina illis cedere prata volunt.
Hinc plenam ſegetem lætam ſperareque meſſem
Agricolas hilares omnia ſigna iubens.
TV vero tantos, O PRÆSTANTISSIME FLOTTI,
TV plenos fructus vere virente refers,
Non modo nunc viridi dives TVA Meſſis in herba eſt,
Sed nam maturis fructibus illa nitet.
Sic ergo dignos TVA fert ſolertia fructus,
Sicce TVIS ſtudiis proemia digna refers.
Ergo haud immerito merito congrator honori
Ex animoque TIBI proſpera cuncta precor.

His paucis honoratiſſimo ſuo cognato ob Summos in Arte Medica adeptos honores gratulari voluit ac debuit

IOH. THEOPH. TOELLNER,
S. S. Theol. Stud.

(0)